CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
2
7-8.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
D
7-8
NAPOLI

Digitized by Google

ACTA ET DECRETA
SYNODI DIOECESANAE
PISTORIENSIS

an. MDCCLXXXVI.

PARS I.

COMPLECTENS

ACTA ET DECRETA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

TICINI
Sumptibus Balthassaris Comini

Censoribus rei litterariae probantibus .
anno MDCCLXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCIPIO DE RICCIIS

DIVINA MISERATIONE

PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS SUIS VENERABILIBUS FRATRIBUS UNIVERSIS IN SACERDOTIO COLLEGIS ET IN PASTORALI MINISTERIO ADIUTORIBUS

IN CHRISTO IESU

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Quibus rebus iure factum sit, ut nostrae Dioecesanae Synodi Constitutiones hactenus editae in lucem nequaquam fuerint, neminem vestrum latet, Venerabiles Adiutores Fratresque mei. Mihi enim potissimum curae fuit, ut per litteras iam X. Kal. Apr. anno superiore datas atque hîc subiectas certiores vos de omnibus facerem. REGIA CELSITUDO, sapientissimus ille pientissimusque Princeps, cuius imperio regimur et gubernamur, omnium nostrum implere vota dignatus est. Data a Principe facultas, quam meis hisce litteris adiicio, in causa est, ut non sine ingenti animi mei solatio ac voluptate

typis edita vobis exhibere possim, quae in veritate, charitate, et sapientia Dei una simul congregati deliberavimus. En tandem vobis, quae tamdiu ac tam vehementer optastis Acta et Decreta Synodi, ut ea exsequi accuratius valeatis. Vestrum illud Deus O.M. confirmet studium, quo eadem sancita a vobis una mecum fuerunt, suaque bonitate efficiat, ut etiam rebus factisque de fidei puritate sanaque doctrina firmo constantique animo perhibeatis testimonium. Concrediti nobis, quod pertinet ad animi salutem, populi ea diligant atque habeant in pretio dogmata, quibus in gravissimo nostro obeundo munere tamquam regulis debemus uti; eadem habeant penitus animo insculpta; eorum veritatem utilitatemque dignoscant. Non ita vos gerite, ut quoddam in eorum animos exerceatis imperium, sed studiose illos ac patienter monitis et exemplo instituite. Omnem vestris tum verbis tum factis vim ac robur addat Deus, suaque vos virtute repleat, ut a sanctissimis vestris nunquam recedentes officiis, pravitatis vitiorumque conatibus possitis obsistere. Neque vos blanda ac dolosa simulatae pacis capiat illecebra; non frangant iniuriae; non adversariorum odium et insectatio terreat. Haec eorum omnium, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, pars est atque hereditas. Invictum illud, quod magnus ille Archiepiscopus Mediolanensis S. Carolus Borromaeus prae se tulit, amplectamur studium, eiusque et nos utamur verbis: *Non est cur a muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illae, quibus, quasi ficus foliis, deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur*: Non ferunt haec tempora veterum canonum severitatem; sic iam diu vi-

viximus, sic vixerunt, ita egerunt, qui aetate nos antecesserunt; vitae institutum nihil est quod mutemus. *At nos haec atque alia huiusmodi contemnamus*. Et alibi: *An fortasse a curatione nostra deterreimur, quia hoc nostro frequenti provinciae sanandae studio exulcerantur animi quorumdam passim dictitantium?* Non ferunt haec tempora veterum canonum et antiquae Ecclesiae medicamenta. *Immo ardentius progrediamur, quoniam haec una medicina praestantissima est, maximeque opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus disciplina Christiana sata et propagata fuit, ipsis et instauretur et conservetur*. Vae illis, si qui nostrum alia sentirent, et profani vulgi sermonibus paterentur se decipi! Si enim oculos ultro clauderent, ne in aeternae salutis semita clarissimum iustitiae ac veritatis lumen aspiciant, inexcusabilis ac numquam fortasse impetratura veniam eorum caecitas foret. Nullus inter nos ductus partium ac dissidii studio, nullus alieni laboris atque operis spectator iners, otiosus in Iesu Christi vinea operarius nullus reperiatur. Cum persuasum penitus vobis sit, quaecumque in hoc condito a vobis doctrinae codice continentur, omnia ab Iesu Christi documentis profluere, omnia sacris literis, traditioni, puriorique felicissimorum Ecclesiae temporum disciplinae esse apprime consentanea, magna mihi spes in Deo est fore, ut in iis accurate servandis vehementior vos domus Dei amor incendat, maior aeternae populorum salutis cura teneat, acrior in vestris muneribus accurate perficiendis solertia eluceat. Ita quidem ope ac beneficio Dei fiat, vestraque in omnibus vitae ratio mihi solatio, admirationi fidelibus, Pastorali ministerio splendori atque ornamento sit. *Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti aeterni Dominum nostrum Iesum Chri-*

ſtum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſaecula ſaeculorum, Amen.

Dat. Piſtorii V. Nonas Octob. 1788.

SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS.

Carolus Mengoni a Secretis.

Ill.mi

Digitized by Google

Ill.mi ac Rev.mi Praesulis

AD VICARIOS FORANEOS

EPISTOLA X. KAL. APRIL. DATA AN. 1787.

Datae XVI. Kal. April. a Regii Iuris Secretario uno eodemque exemplo ad primos omnes Pastores litterae, quibus iidem ad Ecclesiasticum Conventum Florentiae habendum, veluti quoddam Nationalis Etruscae Ecclesiae Concilii praeludium, advocantur, eo me adigunt, ut meorum omnium in ministerio pastorali adiutorum studia curamque ad rem tanti momenti convertam. In qua re scilicet Religiosissimus noster Princeps „ nihil sibi aliud proponit, quam ut Religionis bo„ no consulatur, invectae in Ecclesiasticam disciplinam „ emendentur abusiones, sanctiora stabiliantur ad po„ puli institutionem dogmata, optima inducantur Cle„ ricorum studia, una atque eadem tradatur ab om„ nibus doctrina, dissidia et quaelibet partium stu„ dia tollantur, populorum quieti tranquillitatique „ provideatur „. Iure itaque Venerabilibus meis in Christo fratribus Parochis, qui gravissimis huiusmodi rebus in Dioecesana Synodo tam sedulam navarunt operam, quique Nationalis Concilii convocationem rogarunt Principem, quo veritatibus ac receptis institutis ex unanimi omnium consensione maior firmitas ac robur accederet; iure, inquam, laetandum in Domino est, quod haec inita fuerint a Principe consilia, atque a summo bonorum omnium largitore postulandum, ut in imperato Conventu Spiritu sapientiae et unitatis, prudentiae ac fortitudinis unice ducantur in deliberando primi Pastores, quorum

doctrina, atque eximium in spirituali populorum regimine studium toties eluxit. Ergo iucundissimae huiusce rei gratia per te, carissime in Christo Frater, singulos tui Vicariatus Plebanos monitos volo, ut a XXIII. Mensis Aprilis die, qua Conventus primum habebitur, addant in Missa *Spiritus Sancti Collectam*, atque hortentur fideles ad implorandum suis etiam privatis precibus optimum huiusce rei exitum; quae res praeter plurima, quae in regnum manabunt commoda, aliarum etiam regionum Ecclesiis, uti religiosissimus noster Princeps animadvertit, exemplo esse poterit. Eosdem vero Plebanos certiores facies, REGIAE CELSITUDINI visum esse, nostrae quoque Dioecesanae Synodi promulgationem, aliorumque Magni Ducatus Conciliorum celebrationem differre usque ad peractum totius Etruscae Ecclesiae Concilium, quod post Ecclesiasticum hunc Conventum celebrabitur. Quas de hac re dare mihi humaniter dignatus est litteras, quarum tibi mitto exemplum, alterum erunt pro habita a nobis Synodo testimonium (1). Eximia praeditus religione ac doctrina Princeps,

(1) *Illm̃e ac Rdme D. Domine*

Cum REGIA CELSITUDO *Synodi Pistoriensis Acta recognoverit a te eidem exhibita, ut ea probaret, edendique facultatem concederet, libens gaudensque animadvertit, eamdem Synodum rite habitam, nihilque in eiusdem Actis esse vigentibus Magni Ducatus legibus ac praescriptis contrarium.*

Sed cum indictus iam Episcoporum Conventus fuerit, veluti quoddam Nationali Concilio praeludium, ea tantum de causa ipsi visum est suam modo et adprobationem et ea typis edita vulgandi facultatem ad Synodi Nationalis exi-

ceps, qui se Acta Synodi libenter legisse, atque omnia rite gesta fuisse testatur, ea scribit, quibus ad verum eorum omnium solatium, qui mecum una iudices eiusdem decreta condiderunt, nihil cumulatius esse possit. Quam vel ipse significat dilatae promulgationis causam, meam satis superque moram purgat. Quamvis igitur iussus a Principe non essem has meis carissimis Parochis dare legendas litteras, cum tamen mihi maxime curae sit, ne in iis quae mei officii sunt, quaeque demandata mihi ab iisdem fuerunt, viderer indiligens, hanc unam ob rem mihi necessario erant iisdem patefaciendae. Id eo etiam magis necesse fuit, quod iam exteri quidam homines brevi edendam esse in lucem Synodum edixerant; quin animadverterent id tanta effici celeritate non potuisse; cavendum namque mihi erat diligentissime, ut ea per quam accurate imprimeretur, et ne alibi furtim vulgaretur immutata atque corrupta. Meum quoque est teipsum, tuaque operâ alios omnes tui Vicariatus Parochos monere, et Religioso Principi maxime iniuriosam, et commisso nobis gregi pessimi exempli gravisque offensionis rem fore, si quis

 hac

---

exitum differre. Haec sunt, de quibus iubeor certiorem te facere; sum interim observantiae plenus

Tui, Ill.me ac Rev.me Praesul,

Pisis postr. Id. Mart. 1787.

Pistoriensi et Pratensi
Episcopo

Obsequentiss. et Addictiss. Servus
FRANCISCUS SERATTI

Digitized by Google

hac dilatione ductus sibi licere arbitraretur ab iis institutis pietatisque exercitationibus recedere, quae non sine ingenti populorum bono atque incitamento ad pietatem, meis vestrisque consiliis in omnes ferme Dioecesis Ecclesias libere fuerunt inductae. Quin immo ut vos in necessario huiusmodi optimoque incepto confirmem, aliam Equitis Francisci Seratti (1) exhibere vobis epistolam opportunum existimavi; utraque enim et quanto studio religiosus noster Princeps ea, quae sunt utilia, provideat, et quam libenter Synodales nostras Constitutiones perlegere dignatus sit, aperte demonstrat. Sic etiam poteritis occurrere falsis rumoribus, qui per zizaniorum satores in vulgus disseminari possent. Donec enim in lucem non edatur Synodus, quae nostrae doctrinae testimonium simul est ac triumphus, omnium bonorum inimici praeoccupare nitentur incautae multitudinis animos, et adversus ea, quae unanimi consensu a nobis decreta sunt, sollicitare. Neminem latet, quanta audacia ac temeritate quidam vel res perperam edocti vel maligni homines per turpissimos libellos aut typis editos vel manu scriptos, et qua late patet Italia, disseminatos, irruerint in nos, quantâque iniuriâ nostram doctrinam ac fidem conati sint in suspicionem adducere. Vehementior in me impetus ab iis factus, qui persona abuti ausi sunt, quae nonnisi moderate, graviter, atque honeste proferri umquam deberet in publicum. Quae quidem omnia haud aliquo in eos, qui vel inordinato Religionis studio, vel ignorantia peccarunt, permotus odio, sed in eum unice finem commemoro, ut vos praemuniam atque instruam adversus alios, qui insurgere possent ad clarissima labefactanda argumenta, quibus su-

(1) Vide hanc epist. post Sess. VII.

suum Pastores universi studium suamque in procurando huius Dioecesis bono firmitatem et constantiam declararunt. Certo interim patrocinio freti sapientissimi Principis, qui nos ad celebrandam Dioecesanam Synodum excitavit, et dum ea haberetur tot clementiae atque humanitatis significationibus erexit et confirmavit, eo debemus pergere, quo divina Providentia vocat, inanesque coniecturas stultosque, siqui forte eruperint, clamores contemnere.

Cum vero Plebani Urbis in conventu hac ipsa die praeter morem habito has scribendas ad omnes Parochos litteras una mecum censuerint, eas ad Te statim mitto, ut caeteris omnibus tui Vicariatus Parochis easdem significes. Te interim plurimi a me fieri existimes, eumque me habeas, qui revera sum

Tui, Admodum R.de D.ne

Pistorii X. Kal. April. 1787.

Servus et frater amantissimus
Scipio Pistoriensis et Pratensis
Episcopus.

Sup-

Supplex Episcopi ad impetrandam Synodi promulgationem libellus.

REGIA CELSITUDO

Pistoriensis et Pratensis Episcopus fidissimus tuae REGIAE CELSITUDINIS servus, tibique subditus demisse refert, susceptam tuo regio iussu Dioecesanae Synodi elapso Mense Septembri habitae editionem iam ferme ad exitum properare.

Cumque iam congregati in Synodo Patres suas adhibuerint tuae REGIAE CELSITUDINI preces, ut veterum piorumque Imperatorum exempla sequens tuum nobis nimis quidem necessarium praebere dignareris patrocinium, quo hae servari ac perfici Constitutiones accurate possint, atque ita magis in dies proprium Patris populorum, et canonum Defensoris nomen obtineas:

Antequam easdem Constitutiones in lucem edat, orat atque obsecrat, ut Regiam tuam adprobationem adiungere velis eiusdem Synodi Actis Decretisque praeponendam.

Scipio Pistoriensis et Pratensis Episcopus Synodi Praeses postulo quae supra.

REGIA CELSITUDO Pistoriensis Synodi Mense Septembri An. 1786. habitae Actis cognitis, auditisque Episcopi postulatis, cum nihil in iis animadversum fuerit vigentibus Magni Ducatus legibus, praescriptis, mandatisque contrarium, eiusdem Synodi promulgationem executionemque permittit. Dat. 2. Octobr. 1788.

PETRUS LEOPOLDUS

Absentis Directoris loco, ac Regiae ipsius Celsitudinis iussu

V. BONSI RIGUCCIUS GALLUZZI.

EPISTOLA PASTORALIS

AD SYNODUM DIOECESANAM
PISTORIENSEM INDICENDAM

SCIPIO DE RICCIIS

DEI MISERICORDIA
PISTOR., ET PRATENSIS EPISCOPUS

Ad Venerabiles Fratres, suosque in Sacerdotio, et Pastorali officio Collegas, et Adiutores Civitatis, et Dioecesis Pistoriensis.

Deus Omnipotens Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi meritis det unicuique vestrum gratiae, veritatis, ac mutuae inter vos pacis incrementum.

Praecipuo Divinae in nos providentiae, ac misericordiae consilio factum esse non dubito, Venerabiles Fratres, ut Optimus Sapientissimusque Princeps nos ad Dioecesanas Synodos ex sancta veteris Ecclesiae consuetudine institutoque celebrandas hortaretur. Ita enim in Dei manu, Divina Scriptura teste, sunt corda Regum, ut eos ad quaecumque recte facta voluerit, inclinet. Meo itaque deesse muneri, atque hanc dilectissimam, cui divinitus praepositus sum, dominici gregis portionem maximo spirituali bono fraudare me crederem, si ea negligens, quae mei officii sunt, quaeque eadem illa, in qua sum meritis licet imparibus collocatus, primi huius Dioecesis Pastoris et Capitis dignitas postulat, advocandis vobis moram amplius interponerem. Et iam me duobus ab hinc annis Primus in-

inter Iesu Christi Vicarios Romanus Pontifex Pius VI. vehementer impulerat, ut ad conferenda in unum sapientiae lumina, quae Divina nobis misericordia immittere dignabitur, sacrum hoc Concilium cogerem, quo opportune de rebus deliberari simul decernique posset, atque ex hoc vestrum omnium communi iudicio uberrimi ad nostram, animarumque ad Christum per nos ducendarum sanctitatem fructus caperentur. Quibus additis incitamentis, non immorabor diutius in demonstranda vobis huiusmodi Conciliorum necessitate atque utilitate, ex quibus scilicet olim, felicissimis Ecclesiae temporibus spectatissimae Episcoporum Clerique sanctitati magna honoris, atque observantiae fiebat accessio; unius eiusdemque doctrinae consensio declarabatur; animarum salutis, et eorum, quae vere ex usu Ecclesiae erant, augebatur studium; integrum fidei depositum, atque inviolata diligentius servabatur in Evangelio tradita morum scientia; consona demum legibus magis in honore erat, vigebatque in dies disciplina. Id nunc opportunum magis esse videtur, ut vos omnes in Iesu Christi nomine ac visceribus peramanter amplexatus etiam atque etiam orem atque obsecrem, ut id memineritis, quod cuique vestrum una cum sacris Ordinibus collatum est; quae vestra sunt, sedulo consideretis; sacra denique iura Pastorum secundi ordinis dignitati inhaerentia excitetis. Vestra enim maxime interest, quidquid est in amplissimo hoc spectatissimoque coetu decernendum. Quippe sacras habendi conciones ad populum, Sacramenta conferendi, divina celebrandi mysteria; caeteris denique omnibus vestri Ordinis defungendi muneribus, quae ad creditarum vobis animarum salutem conducunt, demandata vobis divinitus cura est. Cum igitur circa ea praeser-

sertim versetur Synodus, omnes in eius decretis, atque in illis statuendis regulis, quae quid nobis, quid commissis nostrae curae fidelibus agendum sit, aperte demonstrent, partem habeatis oportet. Divini praesentia Spiritus ardentissimis a me implorata est precibus, diligens facta in huius gregis animos ac pia studia inquisitio, sapientissimi Theologorum in consilium adhibiti, doctissimi denique, ac praestantissimi huius Dioecesis consulti viri. Sed tamen quid speciatim opus sit peculiaribus illis nostrae huius Ecclesiae tractibus, quos una cum Episcopo traditâ vobis divinitus auctoritate gubernatis, nemo est, qui melius, quam vos, Venerabiles Parochi, scire queat: ideoque quidquid suscipiendum est ad tot tantasque abusiones, quae veterem Ecclesiasticae disciplinae venustatem puritatemque maxime corruperunt, reformandas, id una simulque statuendum est, et in vestra non minus, quam in nostra situm esse debet potestate. Si a nobis unice cohortandi atque instruendi hic conveniretis, vel, ut quotannis facere soliti estis, quid in vestris Paroeciis boni malive sit, rationem tantummodo reddituri, nihil admodum necessarium, immo prorsus inutile esset ad hanc vos sacram Synodum advocare. Sed longe id aliud est; ad generales enim leges ferendas, quibus Dioecesis optime administretur, ad eius instituta sancienda, ad publicanda in Dei gloriam, et fidei sanaeque morum doctrinae incrementum unanimi omnium Pastorum consensu decreta una omnes debemus accedere. Absit porro, ut eo nimirum, quod Sacerdotii plenitudine ego polleam, istiusque Ecclesiae Angeli titulo insignitus, et vestrae huius, quae mihi honori simul ac solatio est, coronae sim princeps, dominationis in vos spiritum animumque mihi audeam arrogare, et

ad

Digitized by Google

ad nostram hanc primam celebrandam Synodum advocatos cogere, ut in verba mea iuretis, atque iis omnibus, quae per Episcopum constituta sancitaque fuerint, temere atque inconsulto subscribatis. Non me latet, id ab homine superbo expeti, ut solus sit, ac dominetur; contra quem divinae clamant litterae: *vae soli!* Illud etiam quod Regum Sapientissimus praecipit, ibi scilicet salutem esse, ubi plura sunt consilia, non ignoramus. Scimus denique, ad instar humanae non esse Ecclesiae potestatem, cuius omnis in sanctitate ac doctrina, in suasione ac modico spiritualium armorum usu tota vis et ratio est, neque superbum, aut impotentem esse dominatum stabilitum hic inter nos Iesu Christi regnum; fugiendas denique esse dissensiones, ac partium studia, tamquam omnium malorum principium; in quam sententiam D. Ignatius Martyr ad cohortandos Magnesianos praeclare scripsit: *Hortor, ut hoc sit vestrum studium in Dei concordia omnia agere, Episcopo praesidente Dei loco, et Presbyteris loco Senatus Apostolici, et Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Iesu Christi, qui ante saecula apud Patrem erat, et in fine apparuit. Omnes igitur acceptis iisdem divinis moribus vos mutuo revereamini; et nemo secundum carnem spectet proximum, sed in Iesu Christo vos invicem semper diligite. Nihil sit in vobis, quod possit dirimere, sed uniamini Episcopo, et praesidentibus in typum, et doctrinam incorruptionis. Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit ipsi unitus, neque per se ipsum, neque per Apostolos, ita neque et vos sine Episcopo, et Presbyteris quidquam agite.* Quamobrem si ipsi etiam Romani Pontifices nullas, nisi Ecclesiae suae nomine ac vice, scribebant litteras, neque iis, a quibus consulebantur, responsa aliter dabant, quemadmodum ex Sancti Clementis ad Corinthios,

et

et Romani Cleri ad D. Cyprianum epistolis aliisque plurimis monumentis aperte colligere nobis licet, quonam pacto poterunt Episcopi in Synodalibus praesertim Constitutionibus Cleri consensum negligere, ac velle, ut Parochi, causa incognita, erepta sibi rem prius rite perpendendi, ac de ea libere iudicandi facultate, indebita quadam obedientia eorum temere mandatis, et consiliis sese subiiciant? Quomodo dubitari a nobis potest, quin venerabiles istae Synodi, cum earum institutio ad ipsa Apostolorum tempora referatur, sint communi omnium saeculorum usu commendabiles, ac veterem renovent consuetudinem, qua fiebat, ut de maximis quibusque Ecclesiae rebus omnes simul Sacerdotes una cum Episcopo iudicarent? Quantum igitur accidit nobis gaudium, quibus ea ipsa nunc exsequi datum est, quae felicissimis olim Ecclesiae temporibus fiebant, cum Episcopo semper sui circum adiutores aderant, eique in omnibus, ut par erat, subiecti Dioecesis procurationi communiter adlaborabant? Ad me quod attinet, Venerabiles Fratres, meique in Sacerdotio, atque in Pastorali officio Collegae et Adiutores, eam mihi sententiam animo insidere profiteor, in quavis Dioecesi ab Episcopo universoque Clero non dominorum servorumque coetum constitui, sed omnes tamquam unius aedificii esse partes, unius arboris ramos, unius denique esse corporis membra. Quamobrem, cum Parochos divinitus institutos agnoscere, ac fateri gloriemur, ad hanc vos omnes sacram Synodum advocamus in templo Ecclesiasticae Academiae Sancti Leopoldi XIV. Kal. Octobris, summo annuente Numine, incipiendam. Eorum igitur, qui iure aut consuetudine adesse debent, nemini omnino liceat, nisi forte legitimo detineantur impedimento, ad Synodum non accedere; ac quo tempore quisque a sua Ecclesia est abfuturus,

spi-

spirituali simul creditarum sibi animarum curae prospiciat. Hortamur autem vos, atque obsecramus, ut conveniatis omnes nihil admodum metuentes, ne de illo iure, quod in Dioecesana Synodo, aut Concilio Sacerdotes habent, aliquid ego sim detracturus. Ea contra mihi mens, ac voluntas est, ut ex communi vestro liberoque suffragio maior ac firmior iis accedat auctoritas, quae nostri huius Episcopatus tempore ad commune Ecclesiae bonum constituimus, atque providimus, non sine vestro peculiari consilio, atque secundum ea, quae dum de suae quisque Ecclesiae rebus ad me referret, a vobis proposita, ac quae post datas a nobis III. Idus Aprilis an. 1783. litteras sapienter observata sunt. Quamvis autem ex eo, quo omnia exsecuti estis studio, eadem a nobis necessaria atque utilia haberi satis aperte constet, si quid tamen ea quoque prae se ferunt, quod in aedificationem Corporis Christi mutari, aut corrigi oporteat, huc libere quidem accedite, atque in Dei nomine, quod quisque sentit, confidenter exponat. Sed simul etiam a turbulentis quibusdam hominibus, qui nostro in numero non sunt, vel ita vivunt, ac si a nobis penitus desciverint, caveamus, Fratres, nec nos decipi ab iis patiamur. Ipsum namque instaurationis nomen fugiunt atque aversantur, falsoque in animum inducentes suum, contra ea, quae Divinus ipse nobis praedixit Spiritus, nullo umquam tempore posse Ecclesiam in obscuritatem incidere, aut quodam veluti senio laborare, haereticum, ac novatorem esse temere clamant, quicumque velit ipsa Evangelii principia repetere ad eluendas illas Ecclesiae maculas, quibus nimia temporum malignitate est infecta. Pravis enim opinionibus imbuti, quas in tenebricosis errorum saeculis ignorantia, atque ambitio falsa pietatis specie disseminavit, omnem ve-

teris

teris disciplinae Evangelio magis consentaneae separationem haereticae novitatis insimulant, optimis quibusque sanctionibus dissensionum studio impulsi adversântur, institutique ab Iesu Christo animarum regiminis rationem cum dominatu huius terrae Principum confundentes, utramque contra aeternae Sapientiae leges adeo pervertunt potestatem, ut eae inter se se quam maxime pugnent. Ab eorum consiliis ac monitis declinemus in deliberando, Fratres, ac ne in iis, quae excuti a nobis debent, decipiamur, ea, quae sunt potestatis Ecclesiae, quam illa divinitus accepit, tradendam pastoribus, quos Deus pro salute animarum suos ministros instituit, tùm ab iis, quae Principum religione, ac pietate, beneficii, vel privilegii loco illi interdum fuerunt permissa, tum ab iis, quae pravorum hominum ambitus atque avarities de attributa divinitus ipsis Principibus potestate pessimi exempli facto detraxit, accurate secernamus. Considerare enim debemus, quod cum Ecclesiae auctoritas tota sit in rebus spiritualibus posita, neutiquam illa ad temporalia pertinet, ideoque nos, ut eius ministri, nihil revera habemus aliud praeter ius de iis rebus cognoscendi, atque iudicandi, quae ad animarum salutem unice referuntur: at simul a Principe nostro in iis omnibus, quae possunt vero Ecclesiae bono inservire, nihil non sperare debemus, quod praesidio rebus nostris esse valeat; cum sit enim, Dei Opt. Max. gratia rerum Ecclesiasticarum, ac religionis apprime studiosus, atque ad eius incrementum sacram hanc Synodum celebrandi ipse fuerit nobis auctor, in eo etiam, quantum in se erit, adiuvabit; ut rebus quam fieri poterit optime comparatis, ea instauratio atque correctio rerum perficiatur, quam eius hortatu, duce supremo animarum nostrarum Pastore

Iesu Christo, atque in eius nomine suscipimus. Haec sunt clarissimae huius Ecclesiae vota, quae in Spiritu Sancto legitime congregata, recitatis iis, quae per litteras uno eodemque exemplo VII. Kal. Febuarii huiusce anni singulis Episcopis datas MAGNUS DUX noster de Ecclesiasticis rebus expendenda proposuit, Deo Op. Max. publice gratias egit, quod tantum in eo religionis amorem ac studium excitaverit. Eadem nostra quoque esse debent vota, dum tradita Ecclesiae divinitus potestate per eius ministros exercenda, iis omnibus, quae pastoralis muneris sunt, quantum per nos fieri poterit, diligenter consulemus. Reliquum illud est, ut in eam mecum sententiam veniatis, cum nempe huiusmodi Synodorum, quae rite sancteque habitae legitimi sunt purioresque fontes verae ac firmissimae morum instaurationis, nullo non tempore necessitas atque utilitas perspecta sit, tum in hac temporum labe atque illuvie eamdem longe esse maximam atque gravissimam. Non enim inficiandum, quin etiam ultro fatendum est, fidem iam diu pravitate hominum, laxioribusque morum doctrinis acerrime oppugnari. Quod si stulta Galatarum temeritas in eo, quod vellent Mosaicae legis cerimonias, et Christianam simul fidem profiteri iusta D. Pauli reprehensione non caruit, quod in aliud sensim Evangelium transivissent; cur vero nobis, cum tot nostrorum temporum fideles (quod vel magis stultum ac temerarium est) in iis, quae monstrant, quid credendum nobis faciendumque sit, velint lucem consociare cum tenebris, Dei simul ac mundi amicitiam colere, pietatem ac superstitionem sequi, religiosi iuxta esse atque increduli, ipsum denique Christum Iesum cum Belial coniungere; cur (inquam) nobis etiam iure meritoque dicere non licebit, eo sensim plerosque de-

la-

lapsos, ut aliud Evangelium, diversum quidem illud ac longe dispar ab Evangelio Christi, profiteantur? Quanam igitur potissimum via tot tantisque occurremus malis, quibus vel nostra haec Pistoriensis Ecclesia laborat quidem in multis, ingemiscit autem in paucis, nisi consiliorum gravitate iuxta ea, quae in XXII. epistola scripsit ad episcopum Carthaginiensem Aurelium D. Augustinus? Eo vero libentius hanc vobis commemoramus epistolam, quo plura in ea occurrunt, quae videntur ad rem nostram mirifice pertinere; sed duobus tantum uti placet eiusdem locis. Ea igitur mala, cum quibus D. Augustinus Africae Ecclesias olim conflictatas fuisse docet, cum iis, quibus nos afficimur, comparate. Eo tunc magis necessitas vobis constabit statuendi, quod tanta est pestilentia, ut sanari prorsus nisi Concilii auctoritate non possit. Concilium autem congregaturi, illud cum Tertulliano iam nunc persuasum certumque habentes, *illud verum, quod prius traditum, id autem extraneum et falsum, quod posterius immissum*, ideoque res omnes ad sua principia in sacris litteris et traditione posita esse pro viribus revocandas, nulla quidem alia ratione poterimus nostris mederi malis, nisi una semper eademque doctrina proposita atque retenta, *magis docendo, quam iubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur*. His omnibus gravissimis sane rebus permoti iisdem, Dilectissimi Fratres, Deum iam nunc exoremus precibus, quas Patres Dioecesani cuiusdam Concilii anno 1025. habiti quondam adhibuerunt: „ Adesto nobis, quaesumus, Domine Sancte

„ Spiritus, peccati quidem immanitàte detentis, sed „ in nomine tuo specialiter congregatis; veni ad „ nos, et dignare illabi cordibus nostris; doce nos, „ quod agamus, quo gradiamur, ostende, quid efficiamus, operare; esto salus, et suggestor, et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo „ Patre, et eius Filio nomen possides gloriosum. „ Non nos patiaris perturbatores iustitiae esse, qui „ summae veritatis diligis aequitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris, vel personae corrumpat; sed iunge nos tibi efficaciter, solius „ tuae Gratiae dono, ut simus in Te unum, et in „ nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo „ collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut et hic a Te in nullo dissentiant sententia nostra, et in futuro pro bene „ gestis consequamur praemia sempiterna „ (*Concil. Labb. T.* 9. *col.* 898.). Divinus igitur ille Spiritus, quem luminis, et concordiae largitorem huic nostrae Synodo confidimus adfuturum, vestri sit dux itineris, Fratres. Eius vos opem vehementissimis precibus, quas hoc tempore vestrum quisque habebit, exposcite, ipsumque a prima Septembris die usque ad completam Synodum, istius potissimum rei gratia, in omnibus celebrandis Missis, *Spiritus Sancti collectam* recitantes, invocate. Caelestis hic Consolatur Spiritus nostrae humilitatis preces propitius auscultet, nostrosque animos suis donis adaugeat per Christum Dominum nostrum.

Dat. apud D. Germanum loco, qui dicitur *Santo nuovo*, Pridie Kal. Augusti 1786.

SCIPIO PISTORIENSIS ET PRATENSIS EPISCOPUS.

Carolus Mengoni a Secretis.

SESSIO PRIMA

XIV. KAL. OCT. HABITA AN. 1786.

Cum universi, quorum erat iure vel consuetudine ad Synodum accedere, mane hora octava in Ecclesiam S. Leopoldi convenissent, alter ex Scribis Episcopalibus eorum omnium, qui convenerant, album confecit, in eumque retulit tum eos, qui non interfuerunt, tum eos, qui cum per se ipsi venire non potuissent, alios a se delegatos miserunt, eos demum Sacerdotes, qui accedendi ad Synodum facultatem postularunt.

Albo confecto Synodi Patres veste talari, superpelliceo, et ut aiunt *Rocchetto* induti, cum stola rubri coloris super laevam plicata, et operto capite ab Ecclesia S. Leopoldi discedentes, praeeuntibus altero cerimoniarum, magistro et memorato superius Scriba, nullis accensis cereis facibus, sine Cruce et cantu ad Ecclesiam S. Francisci, quae dicitur *al Prato*, se contulerunt.

Interim Episcopus palliolo vulgo *Mozzetta* indutus cum suis familiaribus Presbyteris ad eamdem S. Francisci Ecclesiam venit; quo cum pervenissent Synodi Patres, eorum adventu per cerimoniarum magistrum nunciato, Episcopus ad Altare accedens et Synodi Patribus salutatis in Faldistorio sedit, ibique una cum Diacono et Subdiacono sacris rubri coloris vestibus indutis, eas recitavit precationes, quas sese ad Missae celebrationem dispo-

situri adhibere solent. Quibus persolutis, ab iisdem Ministris sacras vestes accepit, Sandalia nimirum, Amictum, Albam, Cingulum, Crucem, quam ante pectus gestare solet, Stolam et Pluviale rubri coloris, Mitram pretiosam, et Pastoralem Baculum, eodemque tempore Synodi Patres collo Stolam imposuerunt.

Episcopus deinde, Mitra et Baculo Pastorali positis, surrexit, et ad Altare conversus eo vocis tono, qui in feriis adhiberi solet, hanc orationem cecinit.

OREMUS

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum etc.

Ubi qui aderant responderunt: *Amen*; iterum sedens in Faldistorio Pontifex, Mitra capiti imposita, hoc iussit per Scribam publicari decretum, quo declaratum est integra fore iura Patrum, cuiuscumque loci libertate concessa, vel cum procederent, vel cum sederent in Synodo, nec quemquam sine Episcopi venia posse discedere.

DECRETUM QUO INTEGRA DECLARANTUR IURA PATRUM, ET QUISQUE VETATUR DISCEDERE

„ Illustrissimus et Reverendissimus DD. Scipio
„ de Ricciis Pistoriensis et Pratensis Episcopus ad
„ tollendas dissensiones et iurgia, quae superioris cuius-
„ cumque loci aut dignitatis causa oriri possent, decla-
„ rat, edicit, vult, nihil eidem dignitati derogatum
„ iri, dum vel incedunt vel in hac Synodo sedent,

„ sed

„ sed integrum fore suum cuique ius, uti erat ante
„ Synodi celebrationem.

„ Nullus praeterea Patrum sine Illustrissimi ac
„ Reverendissimi Praesulis facultate per eos, qui
„ excusationibus absentium expendendis praesunt,
„ impetranda, sibi licere arbitrabitur discedere, an-
„ tequam dimissa sit Synodus. Et omnia haec ob-
„ servari mandat etc.

„ Dat. Pistorii ex Episcop. aedibus XIV. Kal.
„ Oct. 1786. „

Legit deinde memoratus Scriba Ministrorum, Praefectorumque Synodi album, cuius exemplum ut simul idoneo loco in Ecclesia S. Leopoldi affigeretur, etiam curatum est.

MINISTRI ET PRAEFECTI SYNODI

SYNODI PRAESES

Scipio de Ricciis *Pistoriensis et Pratensis Episcopus*.

LEGATUS A REGIA CELSITUDINE AD SYNODUM MISSUS.

D. Eques et Advocatus Iosephus Paribeni *publicus in Regio Pisarum Athenaeo Professor*.

ORATIONEM AD SYNODUM HABUIT

D. Ioannes Guillelmus Bartoli *Prior Ecclesiae Spiritus Sancti*.

SYNODI PROMOTOR

D. Doct. Petrus Tamburini *in R. I. Ticinensi Athenaeo Professor*.

SYNODI SECRETARII.

D. Antonius Ghisi *Sancti Andreae Plebanus*.

D. Bartholommaeus Colti *Lizzani Plebanus*.

D. Ioannes Magnini *Parochus Pracchiae*.

D. Ioannes Baptista Giacomelli *Parochus loci, qui dicitur* la Chiesina.

SYNODI TESTES.

D. Dominicus Bracciolini *Ecclesiae Cathedralis Canon. Praepositus et general. Episc. Vicarius*.

D. Antonius Visconti *Canon. Thesauri custos*.

D. Laurentius Tiberius Buti *Canonic. Poenitentiarius*.

D. Franciscus Baldinotti *Ecclesiae Cathedralis Canonicus*.

D. Carolus Adami *Ecclesiae Cathedralis Canonicus*.

D. Dominicus Baldinotti *Ecclesiae Cathedralis Canonicus*.

D. Ioseph Baldesi *S. Prosperi Parochus et Oratorii Praepositus*.

D. Antonius Vincentius Betti *Vicar. Foran. et Casalis Plebanus*.

D. Clemens Theodorus Comparini *Vicar. Foran. et S. Martini Abbas*.

D. Petrus Antonius Giannoni *Vicar. Foran. et Lamporecchii Plebanus*.

ABSENTIUM EXCUSATIONIBUS AUDIENDIS EXPENDENDISQUE PRAEFECTI.

D. Ioseph Talini *in Ecclesia Cathedrali Canonicus et Chori Praefectus*.

D. Michael Angelus Santi *Prior Ecclesiae S. Mariae quae dicitur* del Soccorso.

D. Mi-

D. Michael Giunti *familiaris Episcopi presbyter*.

MINISTRI ALTARI INSERVIENTES.

D. Iosephus Sozzifanti *Ecclesiae Cathedralis Archipresbyter*.

D. Ioannes Paolini *Prior S. Pauli*.

D. Philippus Longinelli *Prior S. Vitalis*.

MINISTRI EPISCOPO AD CATHEDRAM INSERVIENTES.

D. Ioannes Baptista Taioli *Ecclesiae Cathedralis Canonicus*.

D. Thomas Rossi *Ecclesiae Cathedralis Canonicus*.

RECTO ORDINI ET CERIMONIIS PRAEFECTUS.

D. Franciscus Ghezzi *Vicar. Foran. et Collinae Parochus*.

CERIMONIARUM MAGISTRI.

D. Ioannes Antonius Berti *Ecclesiae Cathedralis Capellanus et primus Cerimoniarum magister*.

D. Ferdinandus Baldi *Ecclesiae Cathedr. Capellanus et alter Cerimoniarum magister*.

D. Ioseph Mongai *Ecclesiae Cathedr. Capellanus*.

D. Peregrinus Fedi *Ecclesiasticae Academiae alumnus*.

CANTORES

D. Ioannes Baptista Baldacci *Capellanus et primus Cantor Ecclesiae Cathedr.*

D. Franciscus Dini *Ecclesiae Cathedralis Capellanus et Cantor.*

D. Antonius Bizzarri *Ecclesiae Cathedralis Capellanus et Cantor.*

D. Michael Stefani *Ecclesiae Cathedralis Capellanus et Cantor.*

PA-

PATRUM HOSPITIIS PRAEFECTI.

D. Angelus Paoletti *familiaris Episcopi Presbyter*.

D. Aloysius Gerbi *supellectilis Ecclesiastici Patrimonii Custos*.

SYNODALES SCRIBAE.

D. Doct. Ioannes Perraccini *generalis Episcop. Cancellar. in Collegiorum Magistratu Assessor, et Patrimonii Ecclesiastici Iuris-Consultus*.

D. Doct. Iosephus Iacopetti *Cancellar. Episcop.*

ACTORUM SYNODALIUM CUSTOS.

D. Carolus Mengoni *Episcop. Secret.*

OSTIARII.

D. Antonius Dani *Ecclesiasticae Academiae alumnus*.

D. Angelus Marini *Ecclesiasticae Academiae alumnus*.

Episcopus deinde, Baculo Pastorali accepto, surgens a Faldistorio ad Aram accessit, ibique Baculo Pastorali deposito una cum Synodi Patribus genua ad terram flexit. Cantores interim Sanctorum Litanias praecinuerunt, et cantato versiculo: *Sancta Maria*, surrexerunt omnes, et hoc ordine inceperunt procedere.

Praeibant una cum Subdiacono deferente Crucem quatuor Acolythi cum candelabris et cereis facibus accensis. Sequebantur Cantores Pluviali induti; bini deinde procedebant Synodi Patres, ita induti uti supra demonstratum est, nulla habita dignitatis, loci, aut aetatis ratione. Sacrum claudebat agmen Episcopus cum adsistentibus Presbyteris

et

et Ministris sacris vestibus indutis, quem in sua quisque veste sequebantur Theologi et sacri iuris periti. Egressi Cantores Ecclesiam Litanias sunt prosecuti, et cum caneretur ℣. *Omnes Sancti et Sanctae Dei*, ad Ecclesiam S. Leopoldi pervenerunt, quam cum omnes fuissent ingressi, Episcopus deposito ad Altare Baculo Pastorali genua ante Faldistorium ibidem ad hoc antea paratum flexit, impositam capiti Mitram retinens; Cantores interim a ℣. *Propitius esto*, usque ad ℣. *Ut omnibus fidelibus defunctis etc.* Litanias sunt prosecuti; quo dicto surgens Pontifex sumptoque Baculo Pastorali ad principem Templi ianuam conversus, et Synodi Patribus benedicens ℣. cecinit: *Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere, et benedicere* ✠ *digneris*.

Posito deinde Pastorali Baculo flexisque iterum ad terram genibus ad finem usque Litaniarum in hoc statu mansit. Quibus dictis surrexerunt omnes, et Pontifex Mitra posita et ad Altare conversus hanc ex Pontificali Orationem cecinit.

OREMUS.

„ *Da quaesumus Ecclesiae tuae, misericors Deus,*
„ *ut in Spiritu Sancto congregata secura tibi devotione*
„ *servire mereatur: qui tecum vivit et regnat in unitate*
„ *eiusdem etc.*

Deinde Episcopus cum Mitra et Baculo Pastorali Cathedram ascendit, ibique ministrantibus sibi Presbytero et duobus Diaconis adsistentibus, consuetis adhibitis cerimoniis, Sacras vestes accepit, Pontificalem Missam solemniter decantaturus *in Celebratione Synodi*, uti praescribitur in libro, qui propria Sanctorum Officia in usum Dioecesis Pistoriensis continet.

MIS-

MISSA IN CELEBRATIONE SYNODI

INTROITUS Ps. 49.

Congregate Domino Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super Sacrificia.

Psalm. *Deus Deorum Dominus locutus est et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum. Gloria etc. Congregate.* Gloria in excelsis.

ORATIO

Infunde, quaesumus, famulis tuis, Domine Deus, spiritum veritatis et pacis, ut quae tibi placita sunt, toto corde cognoscant, et quae cognoverint, unanimi voluntatum consensione sectentur. Per . . . in unitate eiusdem etc.

Lectio Actuum Apostolorum Cap. 20.

In diebus illis; a Mileto Paulus mittens Ephesum vocavit maiores natu Ecclesiae, qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim serviens Domino cum omni humilitate et lacrymis et tentationibus, quae mihi acciderunt ex insidiis Iudaeorum; quomodo nihil subtraxerim utilium quo minus annunciarem vobis et docerem vos publice et per domos, testificans Iudaeis atque Gentilibus in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi, ignorans; nisi quod Spiritus Sanctus per omnes Civitates mihi protestatur dicens; quoniam vincula et tribulationes Ierosolymis me manent.

Sed

Sed nihil horum vereor nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi quod accepi a Domino Iesu testificari Evangelium gratiae Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes per quos transivi praedicans Regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi; quo minus annunciarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa ut adducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi sicut ipsi scitis; quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Iesu quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere. Et cum haec dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis.

GRADUALE *Philip. 4.*

Quaecumque sunt vera, quaecumque sancta: si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.

Phil. 2. *Idem sapientes, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes; nihil per contentionem neque per inanem gloriam.*

Agg. 2. *Alleluia, Alleluia.* ℣. *Ego vobiscum sum, dicit*

dicit Dominus exercituum; et Spiritus meus erit in medio vestrum; nolite timere. Alleluia.

SEQUENTIA

Veni Sancte Spiritus: ut in die Pentecostes.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthaeum *C.* 18.

In illo tempore: dixit Iesus discipulis suis; si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Credo.

OFFERTORIUM *Eph.* 1.

Deus Domini nostri Iesu Christi Pater gloriae det nobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione eius.

SECRETA

Respiciat, quaesumus, clementia tua, Domine, munera servorum tuorum; et gratiam illis tuae miserationis im-

impende: ut quae in oculis tuis recta sunt veraciter intelligant et fiducialiter eloquantur. Per Dominum etc.

COMMUNIO *Act.* 4.

Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia; et gratia magna erat in omnibus illis.

POST COMMUNIO

Deus, qui omnibus in nomine tuo congregatis promisisti te in medio eorum adfuturum; praesta, quaesumus, ut per haec veneranda mysteria, quae te praesentem in nobis testantur, abundet in cordibus nostris gratia, misericordia et pax in veritate et charitate. Qui vivis etc.

Sanctissimo Missae Sacrificio adfuerunt Synodi Patres, uti mos est Feria V. in Coena Domini, et Episcopus singulis praebuit Christi corpus.

Re divina confecta, benedictionem non impertivit Episcopus, sed ad Cathedram reversus sacras vestes deposuit usque ad Stolam *exclusive*. Tum Presbyter assistens et Diaconi ad Cathedram inservientes ad Sacrarium se contulerunt; mox vero iisdem, quibus caeteri Patres, induti vestibus ad Synodi locum reversi sunt. Episcopus interim, Sandaliis positis, lavit de more manus, et ministrantibus eidem Diacono et Subdiacono, qui cum manipulis sacras vestes retinuerunt, rubri coloris Pluviale induit, Mitraque et baculo Pastorali sumptis ad mediam Aram accessit, ibique flexis ante Faldistorium genibus praecinuit Antiphonam: *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.*

Qua decantata et incoepto per Cantores Psalm. LXVIII. *Salvum me fac Deus etc.* ad Cathedram Episco-

scopus rediit, ibique sedens et impositam capiti Mitram gerens eumdem Psalmum Diacono et Subdiacono vicissim respondentibus recitavit, dum a Synodi Patribus canebatur. Repetita post Psalmum Antiphona, surrexit Episcopus, et mitra posita ad Altare versus has precationes cecinit.

OREMUS

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos; adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos quid agamus: quo gradiamur, ostende, quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequitatem, ut in sinistrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solo tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna. ℟. Amen.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti: mentes nostras, quaesumus, Paraclitus qui a te procedit illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali Synodo proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum etc.

His

His adhibitis precationibus, iterum sedens Mitram sumpsit, et thus in acerram immisit, praebente Naviculam Diacono; qui deinde ad mediam Aram accessit et persoluta prece: *Munda cor meum etc.* cum accepisset de more Evangeliorum librum, et comitante Subdiacono benedictionem ab Episcopo postulasset, sequens Evangelium cecinit.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: convocatis Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia Daemonia et ut languores curarent. Et misit illos praedicare Regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via; neque virgam, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutiatis in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique.

Episcopus deinde Evangeliorum librum osculatus est, et dato ipsi per Diaconum thure, cum Mitra et Baculo Pastorali, venit ad Faldistorium ante mediam Aram positum, ibique Mitra, et baculo Pastorali positis, genua cum Patribus flectens, hymnum praecinuit: *Veni Creator Spiritus*. Prima eiusdem decantata strophe, surrexerunt omnes, et Episcopus sumpto baculo Pastorali venit ad Sedem in extrema Templi parte locatam, ubi manibus iunctis usque ad hymni finem stetit, et dicto a Cantoribus ℣. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur*; cum respondissent Patres: *et renovabis faciem terrae*, hanc orationem cecinit.

OREMUS

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur, exsequamur: scilicet ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduae, subtile iudicium faciamus, ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Sumpta deinde Mitra, iterum sedit, simulque omnes consedere Patres.

Tum D. Guillelmus Bartoli, cui habendae ad Synodum Orationis munus fuerat demandatum, comitante ipsum Cerimoniarum Magistro, postulata prius ab Episcopo benedictione, suo perfuncturus officio, suggestum ascendit.

Oratione habita, Episcopus ita Synodi Patres est allocutus.

„ Venerabiles mei in Ministerio adiutores, et „ in Sacerdotio Collegae: Sanctae Tridentinae Syno- „ do inhaerentes, edemus Fidei professionem: pro- „ ferentur deinde leges, in Synodalibus hisce Con- „ ventibus servandae „.

Tunc Secretarius alter suggestum ascendit, et una cum universis Synodi Patribus genua flectens, elata voce Fidei professionem recitavit a Pio IV. Pontifice editam his verbis.

Nos congregati in hac Sancta Synodo firma fide credimus, et profitemur omnia, et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem Caeli et Terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum ve-

rum

verum de Deo vero. Genitum non factum; consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de Caelis, et incarnatus est, de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in Caelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos; cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum: et expectamus resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admittimus et amplectimur.

Item Sanctam Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admittimus: nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiemus et interpretabimur.

Profitemur quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione re-

recipimus, et admittimus: omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione, in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerint, amplectimur et recipimus. Profitemur pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium, pro vivis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Iesu-Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fatemur etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter tenemus Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime asserimus, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmamus. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnoscimus. Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondemus ac iuramus. Caetera item omnia, a sacris Canonibus, et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipimus, atque profitemur; simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, nos pariter damnamus, reiicimus, et anathematizamus. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam

ne-

nemo salvus esse potest, nam in praesenti sponte profitemur et veraciter tenemus eandem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime Deo adiuvante, retineri, et confiteri, atque a nostris subditis, vel illis, quorum cura ad nos in munere nostro spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in nobis erit, curaturos. Nos iidem congregati, spondemus, vovemus, ac iuramus. Sic nos Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Dextera manu Sacrarum literarum codicem, qui in medio Concilio patebat, Secretarius indicans, ita Fidei professioni finem imposuit, universique Patres responderunt: *Amen*.

Tum Secretarius idem has e suggestu legit

SERVANDAS IN SYNODALIBUS CONVENTIBUS LEGES.

„ In qualibet huiusce Synodi indicenda Sessio„ ne, pertractanda in eâdem argumenta generatim „ proponentur; ipsius vero indictionis formula, ex„ ternis Ecclesiae foribus legetur affixa. Sessio quae„ libet a praescriptis precationibus exordium sumet, „ quibus absolutis, dum Synodi Patres ac Ministri „ suo quique loco manent, imperabit Praeses, ut „ Promotor significata per indictionem argumenta „ Patribus pertractanda proponat.

„ Itaque Promotor indicabit, quidquid per Syno„ dum inquirendum ac decernendum est; rerumque „ pertractandarum exemplum idoneo Templi loco per „ Scribam affigendum curabitur.

„ His a Promotore propositis, ea in medium „ afferre licebit Patribus quae cuique animadvertenda „ videbuntur. Ut vero nihil perturbate fiat, vel „ certum aliquem virum deligent Patres, qui omnium

„ nomine loquatur, vel alius vicissim post alium ea „ exponet, quae sentit, scriptis postea mandaturus „ et traditurus Synodi Promotori, quaecumque ani- „ madverterit.

„ Promotor interim una cum Secretariis Patrum „ sententias exquiret; et tum initio proposita, tum „ a singulis Patribus animadversa in Congregationi- „ bus intermediis expendenda proferentur.

„ In his vero Congregationibus die qui proxi- „ me Sessionem sequitur semper habendis, proposita „ in generali conventu iterum per Synodi Secreta- „ rios legentur. Quibus diligenter expensis ad ea „ deliberanda accedent, quae veluti nostrae Eccle- „ siae decretum ac lex constituenda sunt. Deinde „ eiusdem decreti exemplum Promotor leget, Pa- „ tribus congregatis Theologos et Synodales Cano- „ nistas consulentibus. Si Decretum a Promotore „ conscriptum probabitur, instrumentum conficiet „ Scriba, decreti exemplum sua subscriptione fir- „ mans, & illud primo Secretario tradens.

„ In proxima Sessione iubebit Synodi Praeses „ ea a Promotore in generali conventu vulgari, quae „ in Congregationibus intermediis fuerint constituta.

„ Quod munus alteri ex Secretariis Promotor „ committet, elata voce decretum e suggestu leget „ eiusque adprobationem rogabit Patres. Tradetur „ deinde Scribae, eidemque, si volent, subscribent „ Patres, facto a Praeside, ab adsistentibus, ac testi- „ bus initio. Primi Scribae subscriptio Actum per- „ ficiet.

„ Si quis vero Patrum gravetur subscribere, „ eum Synodi Promotor monebit, ut quae ipsi scru- „ pulum iniiciunt, eumque a subscriptione deterrent, „ scripto proferat, sibique tradat in futuris Sessioni- „ bus exhibenda et consideranda.

„ Dein-

„ Deinde ex iis, quae iam praescripta sunt, „ Promotor alia argumenta proponet; qui mos in „ cunctis Sessionibus servabitur, quae huius Sanctae „ Synodi tempore in Dei laudem, et ad spirituale „ nostrae Ecclesiae bonum habebuntur.

„ Interiectas vero Congregationes bis eodem „ die habendas, si id rerum multitudo requiret, con- „ stituent, qui sequuntur.

PRIMA CONGREGATIO.

„ D. Bartholomaeus Cellesi *Ecclesiae Cathedralis Ca-* „ *nonicus Praefectus et Seminario et Collegio Epi-* „ *scopali Pistoriensi Praepositus*.

„ D. Doct. Ioseph Petrini *Prior Ecclesiae B. Mariae* „ *Virginis Humilitatis titulo*.

„ D. Doct. Lucas Casini *Prior S. Petri loco qui di-* „ *citur* Agliana.

„ D. Doct. Ioseph Pagni *Vicar. Foran. et Aioli Plebanus*

„ D. Leonardus Baldi *in Ecclesiastica S. Leopoldi Aca-* „ *demia S. Scripturae Professor et S. Blasii Parochus*

„ D. Petrus Cini *Vicar. Foran. et S. Marcelli Praepositus*

„ D. Ioannes Santes Barontini *Vicar. Foran. et S.* „ *Nicolai loco qui dicitur* Agliana *Plebanus*.

„ P. Laurentius Fortunatus Taci *Vicar. Foran. et S.* „ *Iusti loco qui dicitur* in Piazzanese *Plebanus et* „ *Abbas*

„ D. Bartholomaeus Ulivi *Vicar. Foran. et Ireppiae* „ *Plebanus*.

„ D. Ioannes Baptista Risaliti *Vicar. Foran. et Pu-* „ *pilianae Parochus*.

„ D. Philippus Selmi *Vicar. Foran. et S. Theclae Parochus*

„ D. Angelus Cigheti *Colonicae Plebanus*

„ D. Dominicus Fanoi *Pitelii Plebanus*

„ D. Petrus Landroni *Plebanus S. Hyppoliti qui dici-* „ *tur* in Piazzanese

„ D. Ioannes Petrus Mastripieri *Gelli Prior*. Per
„ Delegatum
„ D. Ioannes Baptista Fiorini *Candeliae Prior*
„ D. Aloysius Finocchi *Prior S. Rochi*
„ D. Carolus Carlini *Orbignani Prior*
„ D. Hermenegildus Calzolari *S. Alessii Parochus*
„ D. Ioannes Rafanelli *Parochus electus loci qui dici-*
„ *tur* Germinaja *et Ramini Oeconomus*

THEOLOGI A SYNODO DELEGATI.

„ D. Canonicus Comes Fabius de Vecchis *Publicus*
„ *in Regio Senensi Athenaeo Professor*
„ D. Doctor Antonius Longinelli *Theologicae Florenti-*
„ *nae Facultatis Decanus et in Regia S. Leopoldi*
„ *Academia Rector*
„ D. Dominicus Guarisci *in Aretina Dioecesi Bibbie-*
„ *nae Praepositus*
„ D. Reginaldus Tanzini *Bigalli Praepositus et Tabu-*
„ *larii Florentini Ecclesiastici Patrimonii moderator*
„ D. Doctor Ioannes Baptista Zanzi *in Ecclesiastica*
„ *S. Leopoldi Academia Theologiae Professor*
„ D. Doctor Ioannes Pagnini

CANONISTAE A SYNODO DELEGATI

„ D. Advocatus Thomas Nesti
„ D. Doctor Aldobrandus Ioannes Baptista Paolini

CONGREGATIONIS SECRETARII

„ D. Bartholomaeus Colti *Lizzani Plebanus*
„ D. Ioannes Magnini *Pracchiae Parochus*. Per Dele-
„ gatum

SCRIBA

„ D. Doct. Ioannes Peraccini *Cancellar. Episcop. etc.*

Al-

ALTERA CONGREGATIO

» D. Iulius Rossi *Eccleſiae Cathedralis Canonicus*
» D. Doct. Ioſephus Matani *Eccleſiaſticae Hiſtoriae*
» *in Academia S. Leopoldi Profeſſor et Prior S.*
» *Ioannis qui dicitur extra Civitatem*
» D. Doct. Thomas Giuſti *Parochus S. Salvatoris*
» D. Doct. Rainerius Meucci *Tizzanae Plebanus*
» D. Doct. Blaſius Aloyſius Torrigiani *Prior S.*
» *Barontii*
» D. Doctor Ioannes Foſſi *S. Pantaleonis Parochus*
» D. Ioannes Guillelmus Bartoli *Prior Eccleſiae Spi-*
» *ritus Sancti*
» P. D. Ioſephus Goretti *Congregationis Vallisumbroſae*
» *Monachus et Prior Eccleſiae S. Bartholomaei*
» D. Valentinus Donnini *Vic. Foran. et Plebanus Vernii*
» D. Dominicus Logli *Vic. Foran. et S. Quirici Plebanus*
» D. Lucas Panieri *Vicar. Foran. et Plebanus Piteccii*
» D. Franciſcus Ghezzi *Vic. Foran. et Collinae Plebanus*
» D. Dominicus Paſquinucci *Ferrucciae Plebanus*
» D. Petrus Caſſeri *Plebanus Eccleſiae quae dicitur* di
» Valdibure
» D. Gabriel Baldi *Montiſmagni Plebanus*
» D. Antonius Franciſcus Giuſti *Plebanus Carmignani*
» D. Antonius Vincentius Paperini *Cappezzanae Paroch.*
» D. Rochus Froſini *S. Germani Parochus*
» D. Aloyſius Carlini *Eccleſiaſticae S. Leopoldi Aca-*
» *demiae Rector*
» D. Aloyſius Polloni *Canapalis Parochus*

THEOLOGI A SYNODO DELEGATI

» D. Doct. Iacobus Monti *S. Ambroſii Praepoſitus et*
» *Publicus in Mantuano gymnaſio Profeſſor*
» D. Doct. Antonius Bottieri *in Piſano Athenaeo publi-*
» *cus Profeſſor et Regii Ferdinandiani Collegii Rector*
» D. Vincentius Palmieri *Congregationis Oratorii Ia-*
» *nuenſis Sacerdos*

„ D. Doct. Salesius Ferdinandus Donati *Pro-Prior*
„ *Pisanae Conventualis Ecclesiae*

„ D. Ferdinandus Panieri *Episcopalis Pratensis Semina-*
„ *rii Rector et Theologiae Professor*

„ D. Doctor Aloysius Guasperini *Episcopalis Collegii*
„ *et Seminarii Pistoriensis Rector*

CANONISTAE A SYNODO DELEGATI

„ D. Doct. Matthaeus Bianchi *in Ecclesiastica S. Leo-*
„ *poldi Academia sacri iuris Professor*

„ D. Doctor Antonius Maria Rosati *in Regio Piste-*
„ *riensi gymnasio utriusque iuris Professor*

CONGREGATIONIS SECRETARII

„ D. Antonius Ghisi *S. Andreae Plebanus*

„ D. Ioannes Baptista Giacomelli *Parochus loci qui*
» *dicitur* la Chiesina

SCRIBA

» D. Doct. Iosephus Iacopetti *Cancellar. Episcop.*

» Placetne vobis, Venerabilis Praeses, Patres-
» que et in Sacerdotio Collegae, et eos quos ad con-
» stituendas Congregationes delegimus, et propositam
» habendae huius Synodi rationem probari? »

Uno omnes ore responderunt: *Placet*; cumque omnia probata a Patribus fuissent, e suggestu Secretarius descendit, et libellum tradidit Scribae, qui, cum se eidem Synodi testes subscripsissent, sua ipsum subscriptione firmavit.

Placuit deinde Praesidi dato per tintinnabulum signo primae Sessioni finem imponere. Tum vero Secretarius ad eum accedens eumque salutans inquit:
» In quam diem et in quam diei horam placet tibi,
» Reverendissime Pater, secundam sessionem indice-
» re? et quibusnam de rebus disserendum in ea est? »

Cum

Cum scriptum ab Episcopo accepisset responsum, his verbis futuram Patribus Sessionem indixit.

» Illustrissimus ac Reverendissimus noster in
» Christo Pater Scipio de Ricciis Pistoriensis et
» Pratensis Episcopus Sanctae huius Dioecesanae
» Synodi Praeses quarta post meridiem hora hac
» ipsa die proximam habendam Sessionem statuit.
» Hortamur ergo, ut omnes conveniant de iis actu-
» ri, quae ad Fidem, ad Ecclesiam, ad Gratiam, et
» Praedestinationem, demum ad moralis scientiae
» fundamenta pertinent. »

Haec vero Indictionis formula externis Ecclesiae foribus per Scribam affixa est, et indicta hoc pacto Sessione surrexit eodem manens loco Episcopus, omnesque Patres simul surrexerunt. Tum ille sumpto Pastorali baculo solemnem uti in Missa benedictionem impertivit, et salutatis de more Legato Regio Patribusque ad Cathedram veniens Sacras vestes deposuit; cumque adorasset de more SS. Eucharistiae Sacramentum e Templo discessit, omuesque simul e Concilio Patres discesserunt.

Qui vero Sanctae Synodo interfuerunt Patres, ex Albo per Scribam confecto constat fuisse qui sequuntur

Achilli Ioseph *Parochus S. Mariae Magdalenae quae dicitur* al Prato

Adami Carolus *Eccles. Cathedr. Canonic.*

Andreoli Ioannes *Parochiae Vicarius S. Luciae quae dicitur* in Capo di Strada

Andreotti Antonius *Cerreti Parochus*

Antonini Ioannes *Prior S. Donati qui dicitur* in Greti

Arcangeli Marcus *Coadiutor Plebis S. Andreae*

Arrigoni Ioseph *Momigni Plebanus*

Baldacci Ioannes Baptista *Eccles. Cathedral. Capellanus et primas Cantor*

Bal-

Baldacci Nicolaus *Prior loci qui dicitur* Vinci
Baldesi Antonius *Parochus S. Mariae Maioris quae dicitur* de' Cavalieri
Baldesi Ioseph *Parochus S. Prosperi et Oratorii Praepositus*
Baldi Ferdinandus *Eccles. Cathedral. Capellanus et secundus Cerimoniarum magister*
Baldi P. Philippus *Prior Ordinis Servorum*
Baldi Gabriel *Montemagni Plebanus*
Baldi Leonardus *Parochus S. Blasii et Sacrae Scripturae in Ecclesiastica S. Leopoldi Academia Professor*
Baldinotti Dominicus *Eccles. Cathedral. Canonicus*
Baldinotti Franciscus *Eccles. Cathedral. Canonicus*
Ballerini Ioannes Baptista *Parochus Seani*. Per Delegatum
Barbieri Antonius Maria *Parochus Loci qui dicitur* Poggiole
Baroni Carolus *Parochus loci qui dicitur* Piazza
Barontini Ioannes Santes *Vicar. Foran. et Plebanus S. Nicolai loco qui dicitur* Agliana
Bartoli P. Antonius *Ordinis Min. Conventualium S. Francisci*
Bartoli P. Bartholomaeus *Ord. S. Francisci Minor Observ.*
Bartoli Ioannes Guillelmus *Prior Ecclesiae Spiritus S.*
Bartoli P. Ioseph *Praeses Min. Convent. S. Francisci*
Bellandi Vincentius *Aioli Parochus*
Belli Ioannes *Vicarius Parochus Cirelii*
Berchielli Franciscus *Parochus loci qui dicitur* Saripoli
Berti Dominicus *Iani Parochus*
Berti Ioannes Antonius *Eccles. Cathedral. Capellanus et primus Cerimoniarum magister*
Betti Antonius Vincentius *Vicar. Foran. et Plebanus Ecclesiae quae dicitur* di Casal Guidi

Betti

Betti P. Ioseph *Prior Carmelitarum et Parochus Oeconomus Ecclesiae quae dicitur* delle grazie

Biagioni Franciscus *S. Angeli Plebanus*

Bianchi Bartholomaeus

Bianchi Thomas *Gabbiani Prior*. Per Delegatum

Bicocchi Caietanus *Cantagalli Parochus*

Binelli P. Ioseph *Ord. Eremitarum S. Augustini*

Bini Franciscus *Gricilianae Parochus*

Biondi Ioseph *S. Georgii prope Umbronem Parochus*

Bizzarri Antonius *Eccl. Cathedr. Capellanus et Cantor*

Bizzarri Blasius *Coadiutor Ecclesiae quae dicitur* di Maresca

Bizzarri Philippus *Ecclesiae S. Pauli Coadiutor*

Boccaccini Iosephus *Ecclesiae B. Mariae Virginis sub Humilitatis titulo Coadiutor*

Bracciolini Dominicus *Eccles. Cathedral. Canonic. Praepositus et General. Episcop. Vic.*

Bruscoli Bartholomaeus *Prior Casalis Pratensis*. Per Delegatum

Buccelli Michael *Campedae Coadiutor*

Buongiovanni Angelus *Ecclesiae B. M. V. sub Humilitatis titulo Capellanus*

Buonomini Michael Angelus *Plebanus Cavinanae*

Busoni Ioseph Doct. *Eccles. Cathedral. Capellanus*

Buti Laurentius Tiberius *Eccles. Cathedral. Canonic. Poenitentiar.*

Calzolari Hermenegildus *S. Alexii Parochus*

Campi Fabius *Tobbianae Parochus*

Cappellini Ioannes *Parochus S. Michaelis qui dicitur* d'Agliana

Caramelli Michael Angelus *Prior S. Michaelis qui dicitur* a Vignole

Carlini Carolus *Orbignani Prior*

Carlini Aloysius *Parochus loci, qui dicitur* Lanciole

Carlini Aloysius *Ecclesiasticae S. Leopoldi Academiae Rector* Ca-

Carobbi Franciscus *S. Petri maioris Parochus*

Casini Doct. Luccas *Prior S. Petri qui dicitur* a Agliana

Casseri Petrus *Plebanus loci qui dicitur* Valdibure

Castellani Antoninus *Prior loci qui dicitur* il Poggio alla Malva

Castellani Ubaldus *Capraiae Plebanus*

Cellesi Bartholomaeus *Eccles. Cathedral. Canonic. Praefectus, et Seminario et Collegio Episcopali Pistoriensi Praepositus*

Cellesi Fabricius *Eccles. Cathedral. Canonicus*

Ciabattini Ioannes Baptista *Montalis Plebanus*

Cigheri Angelus *Plebanus S. Mariae quae dicitur* a Colonica

Cini Petrus *Vicar. Foran. et S. Marcelli Praepositus*

Civinini Iosephus *Parochus S. Mariae Maioris alias* lo Spedalino

Cocchi Iacobus *Spedaletti Parochus*

Colti Bartholomaeus *Lizzani Plebanus*

Comparini Clemens Theodorus *Vicar. Foran. et S. Martini Abbas*

Corsini P. Antonius Maria *Prior Eremitarum S. Augustini*

Corsini Stephanus *Parochus loci, qui dicitur* Valdibrana

Diddi Paschalis *Ecclesiae S. Pauli Coadiutor*

Dini Franciscus *Eccl. Cathedr. Capellanus et Cantor*

Dini Ioseph *Parochus S. Michaelis loco, qui dicitur* Tobbiana

Dolfi Angelus *Parochus loci, qui dicitur* Erespole

Dolfi Dominicus *Parochus loci, qui dicitur* Casore

Dolfi Dominicus Iustus *Plebanus loci, qui dicitur* Celle

Dolfi Ioseph *Montagnanae Parochus*

Donati Ioannes Baptista *Prior loci, qui dicitur* Filline

Don-

Donnini Valentinus *Vic. Foran. et Vernii Plebanus*

Fanoi Dominicus *Pitelii Plebanus*. Per Delegatum

Fanti Ioannes Matthaeus *Ecclesiae S. Ioannis Coadiutor*

Farinati Ioannes Andreas *Ecclesiasticae Academiae Alumnus*

Fedeli Petrus Maria *Luviccianae Prior*

Fiascorini Ioannes Felix *Coiani Parochus*

Finocchi Bartholomaeus *Ecclesiae S Felicis Oeconomus*

Finocchi Aloysius *Prior S. Rochi*

Fiorini Ioannes Baptista *Candeliae Prior*

Fossi Doct. Ioannes *S. Pantaleonis Parochus*

Franceschi Iacobus *Eccles. Cathedral. Capellanus*

Frilli Gaspar *Usellae Plebanus*

Frosini Ioannes Angelus *Parochus Ecclesiae S. Augustini*

Frosini Hieronymus *Vinacciani Plebanus*

Frosini Petrus *Parochus S. Blasii loco qui dicitur* a Vignole

Frosini Rochus *Ecclesiae S. Germani Parochus*

Gaggioli Ioseph *Parochus loci, qui dicitur* Tavula

Gatti P. D. Amadeus *Congregat. Vallis umbrosae Monachus et Ecclesiae S. Bartholomaei Coadiutor*

Gelli Antonius *Valenzatici Prior*

Gelli Thomas *Oeconomus Ecclesiae quae dicitur* di Montemurlo

Gerbi Aloysius *Supellectilis Ecclesiastici Patrimonii custos*.

Gherardi Ioachim *Eccles. Cathedral. Capellanus*

Gherardini Petrus Laurentius *Parochus loci qui dicitur* il Cassero

Ghezzi Franciscus *Vic. Foran. et Collinae Parochus*

Ghisi Antonius *S. Andraee Plebanus*

Giacomelli Ioannes Baptista *Parochus loci, qui dicitur* la Chiesina Gia-

Giacomelli Ioannes Dominicus *Buriani Parochus*

Giagnoni Ioannes *Plebanus loci qui dicitur* Sammommè

Giannini P. Bartholomaeus *Praeses Min. Observ. S. Francisci*

Giannoni Petrus Antonius V*icar. Foran. et Lamporecchii Plebanus*

Giovannelli Sylvester *Serrae Plebanus*

Giovannetti P. Vincentius *Praeses Carmelitarum*

Giovannini Ioseph *Capellanus loci, qui dicitur* Prunetta

Giunti Michael *familiaris Episcopi presbiter*

Giusti Andreas Felix *Verghereti Parochus.*

Giusti Antonius Franciscus *Carmignani Plebanus*

Giusti Ioannes Baptista *Prior S. Christinae, quae dicitur* in Pilli

Goretti P. D. Iosephus *Congregat. Vallis Umbrosae Monachus et Prior Eccles. S. Bartholomaei*

Gorgieri Vincentius *Chiazzani Prior*

Gori Petrus Antonius *Prior loci qui dicitur* S. Moro

Gori Ioannes Dominicus *Ecclesiae Cathedral. Coadiutor*

Gori Thomas *Cutiliani Plebanus*

Iacopetti Franciscus *Ecclesiae S. Hilarii Parochus*

Iacopucci Cosmus *Prior Bonistalli*

Lamberti Ioannes Rufinus *Prior S. Leopoldi loco, qui dicitur* all' Abetone

Landroni Petrus *Plebanus S. Hippolyti loco qui dicitur* Piazzanese

Lazzerini Franciscus *Quarratae Plebanus.* Per Delegatum

Leoni Antonius *Parochus Ecclesiae quae dicitur* S. Maria Nova

Lisini Antonius *Parochus Orsignae*

Logli Dominicus *Vicar. Foran. et S. Quirici Plebanus*

Lo-

Logli Aloysius *Parochus loci, qui dicitur* Frassignoni

Longinelli Philippus *Prior S. Vitalis*

Longinelli Ioannes *Parochus S. Mariae, quae dicitur a' Ripalta.*

Luchetti Aloysius *Ecclesiae S. Vitalis Coadiutor*

Manganelli Ioannes Matthaeus *Coadiutor Ecclesiae S. Lazari loco qui dicitur* Spazzavento

Magni Ioseph *Parochus Vicarius loci, qui dicitur* Uzzo

Magnini Ioannes *Pracchiae Parochus*. Per Delegatum

Marini Iosephus *Parochus S. Petri loci qui dicitur* Vinecio

Martini Philippus Antonius *Fossati Parochus*

Mastripieri Ioannes Petrus *Prior Gelli*. Per Delegatum

Matani Doctor Iosephus *Prior Ecclesiae S. Ioannis et in Academia S. Leopoldi Ecclesiasticae Histor. Profess.*

Matucci Doct. Ioannes *Oeconomus Ecclesiae quae dicitur* Germinaja

Mengoni Carolus *Episcopi Secret.*

Mercatanti Ioachim *Prior loci qui dicitur* Paperino

Meucci Doct. Rainerius *Tizzanae Plebanus*

Mongai Iosephus *Ecclesiae Cathedral. Capellanus*

Monzali Petrus Laurentius *Parochus S. Georgii loco qui dicitur* Colonica

Mori Gaspar *Parochus Vicarius S. Blasii loci qui dicitur* Piuvica

Mori Ioannes *Parochus loci qui dicitur* Calamecca. Per Delegatum

Moroni Vincentius *Prior Comeanae*

Mugnaini Nicolaus *Limitis Plebanus*

Nardi Franciscus *Prior loci qui dicitur* Castellina di Limite

Nesi Santes *Millianae Parochus*

Niccolai Petrus *Parochus S. Stephani loci, qui dicitur* Campiglio

Nocetti P. Andreas Odoardus *Min. Observ.*

Notari Marcus *Popilii Plebanus*. Per Delegatum

Nuti Bonaventura *Ecclesiae B. M. V. sub Humilitatis titulo Coadiutor*

Paccagnini Innocentius *Parochus S. Luciae loci, qui dicitur* in Monte

Pagni Doct. Ioseph *Vicar. Foran. et Plebanus S. Petri loci qui dicitur* Ajola

Pagnini Ioannes Gualbertus *Ecclesiae Cathedral, Capellanus*

Panieri Luccas *Vicar. Foran. et Piteccii Plebanus*

Paoletti Angelus *Familiaris Episcopi Presbyter*

Paolini Ioannes *Prior Ecclesiae S. Pauli*

Paperini Antonius Vincentius *Parochus Capezzanae*

Papini Iosephus *Faltognani Parochus*.

Parenti Aloysius *Marlianae Plebanus*.

Pasquetti Benignus Aloysius *Prior loci qui dicitur* Castra.

Pasquinucci Dominicus *Plebanus Ferrucciae*.

Petrini Doct. Iosephus *Prior Ecclesiae B. M. V. sub Humilitatis titulo*.

Petrucci Franciscus *Ecclesiae S. Ioannis Coadiutor*.

Petrucci Matthaeus *R. Xenodochii Capellanus*.

Picciolli Andreas *Pavanae Parochus*.

Pieratti Raphael *Parochus loci, qui dicitur* Cascheri.

Piermei Marcellus.

Polloni P. Augustinus. *Ord. Herem. S. Aug. Lector*

Polloni Aloysius *Canapalis Parochus*.

Prati Dominicus *Prior S. Michaelis loci qui dicitur* Serravalle.

Pupilli Petronius *Parochus loci, qui dicitur* Torri.

Quer-

Querci Antonius *Eccleſiae Spiritus S. Coadiutor*.

Rafanelli Ioannes *Parochus electus loci*, *qui dicitur* Germinaia, *et Oeconomus Eccleſiae quae dicitur* di Ramini.

Ranieri Simon *Parochus loci*, *qui dicitur Caſaggio*.

Restoni P. D. Epiphanius *Congregat. Vallis Umbroſae Monachus et Prior Vaiani*.

Risaliti Ioachim *Parochus loci*, *qui dicitur* Narnali.

Risaliti Ioannes Baptista *Vicar. Foran. et Pupilianae Parochus*.

Rosati Ioseph *Colligontii Parochus*.

Rossi Iulius *Eccleſ. Cathedral. Canonicus*.

Rossi Thomas *Eccleſ. Cathedral. Canonicus*.

Rovai Antonius *Parochus loci, qui dicitur* la Casa al Vescovo.

Salvetti Donatus *Eccleſiae Cathedralis Canonic. Decanus*.

Sanmicheli P. Ludovicus *Ord. Serv.*

Santi Michael Angelus *Prior S. Mariae quae dicitur* del Soccorso.

Santini Franciscus *Parochus S. Chriſtinae loci qui dicitur* a Mezzana.

Santini Ioseph *Parochus Burgianici*.

Scappuccini Vincentius *Plebanus Satornanae*.

Scarfantoni Eques Petrus *Eccleſ. Cathedral. Canonic. et S. Liberatae Parochus*. Per Delegatum.

Selmi Philippus *Vicar. Foran. et S. Theclae Parochus*.

Setti Petrus *Prior Grignani*.

Sozzifanti Iulius *Eccleſ. Cathedral. Canonicus*.

Sozzifanti Ioseph *Eccleſiae Cathedral. Canonic. Archi-Presbyter*.

Spagnesi Antonius *Parochus Eccleſiae B. M. V. ſub humilitatis titulo*.

Spagnesi Nobilis Andreas *Masiani Parochus*.

Stephani Michael *Eccles. Cathedral. Capellanus et Cantor*.

Tacci P. D. Romualdus *Congregat. Vallisumbrosae Monachus, et Ecclesiae S. Bartholomaei Coadiutor.*

Taci Laurentius Fortunatus *Vicar. Foran. et S. Iusti loci, qui dicitur* Piazzanese, *Plebanus, et Abbas*.

Taddei Petrus *Prior Galcianae*.

Taioli Ioannes Baptista *Eccles. Cathedral. Canonicus*.

Taioli Laurentius *Parochus loci qui dicitur* de' Santi alle Mura.

Talini Ioseph *Eccles. Cathedral. Canonicus et Chori Praefectus*.

Tesi Philippus *Parochus S. Sebastiani loci, qui dicitur* Piuvica.

Tesi Ioannes Baptista *Parochus Lucciani*.

Tognozzi Ioannes Franciscus *Parochus loci quì dicitur* Castellina di Seravalle.

Tolomei P. Franciscus *Oratorii Sacerdos et Fabronianae Bibliothecae Praefectus*.

Toninelli Dominicus *Parochus Caverzani*.

Torrigiani Doct. Blasius Aloysius *Prior S. Barontii*.

Torrigiani Ioannes Maria *Plebanus Bacchereti*.

Torrigiani Petrus Antonius *Porciani Parochus*.

Tozzini Ioannes Andreas *Pro-Abbas loci, qui dicitur* Montepiana.

Tronci Bartholomaeus *Eccles. Cathedral. Capellanus*.

Turini Ioannes *Schignani Parochus*.

Ulivi Bartholomaeus *Vicar. Foran. et Treppii Plebanus*.

Valori Franciscus *Parochus Paccianae*.

Va-

Valori Matthaeus *Plebanus S. Stephani loci, qui dicitur* Seravalle.

Vannacci Clemens *Parochus loci, qui dicitur* Maleseti.

Vannini Alexander *Spignanae Parochus*.

Vannucci Michael Angelus *Parochus loci, qui dicitur* Mammiano.

Venzi Petrus *Parochus loci qui dicitur* Montalbiolo.

Vestri Hieronymus *Prior S. Petri loci, qui dicitur* Mezzana.

Vezzosi Iosephus *Parochus S. Petri loci qui dicitur* S. Mato.

Viscontí Antonius *Ecclesiae Cathedralis Canonicus Thesauri custos*.

Vivarelli Antonius *Fognani Prior*.

Vivarelli Bonifacius *Castri Novi Parochus*.

Vivarelli P. Aloysius *Ord. Serv. Lector*.

Vivarelli Marcus *Parochus loci, qui dicitur* Luogomano.

INITA RATIONE REPERIUNTUR FUISSE

Parochi	- - - - - - - - - „	171
Coadiutores	- - - - - - - „	14
Canonici	- - - - - - - - „	14
Sacerdotes	Seculares - „	22
	Regulares - „	13
Collecta Summa	„	234

ORATIO AD SYNODUM

HABITA A IOANNE GUILLELMO BARTOLI

PRAEPOSITO ECCLESIAE SPIRITUS SANCTI

I. Quamvis Ecclesia Christi eximiis iis dotibus semper refulgeat, quibus divinus ipsius institutor, et caput admirabili quadam ratione eam exornavit; veluti novi perpetuique foederis argumentis; non rarò tamen infirmitatis, ac senectutis vicissitudines ita patitur, ut a nativo eique primitus insito splendore magna ex parte interdum excidisse videatur. At non annorum diuturnitas amabilis huiusce Sponsae vultum rugis commaculat: cum eo consilio sit condita, ut usque ad saeculorum consummationem caelestis benedictionis, atque amoris pignora sit receptura. Quare non a rerum humanarum fortuna, non ab hominum artibus, affectionibus, variisque temperamentis aut luctuosus, aut floridus Ecclesiae status pendere intelligitur. Nec enim ipsa condita est ad instar regnorum huius mundi, quae ubi ad summum dignitatis, ac potentiae fastigium pervenerint, ipsa magnitudine laborare incipiunt sua, atque in deterius ruant necesse est. Siquidem ipsa est regnum spirituale extructum tectumque Dei patrocinio, ac ita mirifice comparatum, ut electorum sanctificationi, ac mystici Iesu Christi corporis aedificationi sive in adversis, sive in secundis rebus semper inserviant. Huc enim Dei consilium respexit, cum Ecclesiam fundavit. Sinit quidem Deus aliquando exoriri tempora plena periculi atque certaminis, iisque novi Israelis laetitiam turbari patitur.

Sed

Sed semper habet alte repositos in thesauris divitiarum gratiae suae, quos identidem excitet, magnanimos ac piissimos Principes, impavidosque Sacerdotes, qui ad Tabernaculi sui praesidium, ad moerentis Ecclesiae suae solamen accurrant. O dulce solamen tot bonorum votis gemitibusque expetitum ac praeparatum!

II. Iam a duobus paene saeculis undique fatigamur studio contentionis ac novitatis, malis hominum artibus parto, cogimurque fere quotidie conserere manus cum miserrimis reliquiis sectatorum Caelestii, ac Pelagii (1), licet hi toties contriti ac profligati iam fuerint. Vel ipsa Ecclesia Africana, quae iure gloriatur fulgentissimo Ecclesiae lumine Augustino, tot olim Pelagianorum impetita telis, his nostris, quae iamdiu patimur, nec acriora, nec perniciosiora, nec pertinaciora fortasse dissidia tulerat. Quid plura? Clemens ipse IX. Pontifex pacatae indolis ac vere dignae summo Sacerdote, ornamentum et decus patriae vestrae, aequissimus aestimator purioris doctrinae, ac vindicum intrepidorum gratiae Christianae (2), il-

(1) Haec temporis epocha ducitur a Congregationibus *de auxiliis*, habitis sub Clemente VIII. usque ad aetatem hanc nostram.

(2) Quatuor ex Galliarum Episcopis, qui sanctitate ac doctrina caeteris eminebant, in Formulario, ut aiunt, Clementis IX. *ius a facto* distinxerant, ac interiorem quidem mentis assensum, ad ius quoad pertinet, silentium vero, quod pertinet ad factum, obsequii ergo polliciti fuerant. Sed hoc displicuit hostibus gratiae Dei, qui totis viribus curarunt, ut illi Episcopi e gradu deiicerentur. At novemdecim ex sapientioribus Galliarum Episcopis vindicias eorum egerunt, datis de hac re ad Pontificem ac Regem litteris, quibus uterque acquievit. Nam Pontifex re melius perpensa ac detectis fraudibus, dolisque Molinistarum iuramentum prout fuerat ab Episcopis praestitum ratum habuit, illudque Rex ipse probavit edita declaratione an. 1668.

lius pacis, quam is Ecclesiae reddere studuit, fructus percipere aut non potuit, ut in votis habuerat, aut fructus habuit nec satis maturos, neque diuturnos. Iam undique labefactatis sanctissimis fidei dogmatibus, a quibus tota pendet vis redemptionis, ac spes, iam oportuit cuiusdam quasi contagii errorisque germen erumpere, quod per universas quasi venas serperet, ex quibus christianae doctrinae compages ac veluti corpus coalescit, et alitur. Hinc recentiorum Pharisaeorum cathedras erectas conspeximus, et illustriorum Patrum libris pessimorum Casuistarum agmen suffectum, quorum conatus eum demum exitum habuerunt, ut futilitatum, nugarum, ineptiarum, quae nebulosis iis temporibus habebantur in pretio, nobis accuratam historiam reliquerint. Hinc abiectos vidimus divinos codices, Testamentum scilicet Patris filiis concreditum, eosdemque filios conversos vidimus ad opuscula perlustranda deliriis humanae mentis, fabulisque plenissima, quae mali homines otio abutentes, suaeque utilitati servientes confinxerant. Hinc hominem vidimus, ut ut viribus attenuatum ac vulneratum, superbe tamen fidere viribus suis, et oblitum duorum hominum, primi nimirum, et secundi Adami, a seipso expectare auxilium ac robur. Hinc derelicta veteris disciplinae substantia ac veluti succo, innumerabiles pietatis formas puriori cultui surrogatas vidimus, inanes, frivolas, superstitiosas, iisque denuo excitatum veterem Iudaeorum spiritum, quo solebat inquiri, an in monte Garizim, an Ierosolymis colendus esset Deus, quin cogitaretur Deum esse adorandum in spiritu, et veritate, nec alia ratione veros Dei cultores existere. Haec vulnera sunt, quibus angitur vehementer, ac dolet Sponsa illa castissima, quam nos ceu matrem veneramur ac colimus.

Fa-

III. Fatendum quidem est post Synodum oecumenicam Tridentinam nobis parata fuisse remedia sanandis morbis, vel saltem praecavendis idonea, novaque decreta condita ad gravioris momenti veritates tuendas, optimasque sanctiones ad rectam disciplinam secundum Evangelica instituta componendam. Verum cum piissimo ac praeclarissimo Episcopo Carolo Borromaeo (1), vix absoluta oecumenica Synodo, aptare licuerit temporibus suis Ieremiae verba (2): *transiit messis*; *finita est aestas*, *et nos salvati non sumus*; longe potiori iure nos qui ab illa aetate distamus duorum saeculorum intervallo, recrudescentibus, immo et multiplicatis antiquis vulneribus, exclamare possumus: *evanuerunt fructus*; *tempus acceptabile aufugit*; *nosque tam gravi in discrimine versamur*, *ut salus nostra maxime periclitetur*.

IV. Verumtamen non abest a nobis divinitus immissum auxilium. Insonat auribus nostris ipsius Ieremiae vox, laetitiae gratique animi sensu ac plausu excipienda (3): *Quid*? clamat ille (4)? *Numquid resina non est in Galaad*? *Numquid medicus non ibi*? *Quare non est obducta cicatrix filiae populi mei*? Ergo nullum erit remedium morbis sanandis aptum? Adeo medicus omnis aberit, qui tam late patentis infirmitatis sanandae consilium ineat, aptamque rationem proponat? Cur igitur hactenus non obducta cicatrix populi mei? Cur hactenus seria suscepta non est de hac re cogitatio? Hanc vocem immittit ab al-

to

(1) Vid. eius orat. praemiss. Concil. prov. VI. an. 1582.
(2) Cap. VIII. vers. 20.
(3) Notae sunt in historia Conciliorum acclamationes fieri solitae Principi, eiusque familiae, et Episcopo.
(4) Cit. cap. VIII. v. 22.

to Deus, effunditque desuper, vocem sane consolationis, ac spei plenissimam, cuius sonitus blande pulsat aures, mulcetque corda Episcoporum Etruriae, alpes deinde transgreditur, traiicit maria, ac dissitarum gentium, Sacerdotum, Doctorum, Magnatum plausum excitat, et admirationem. Iam nostis, Patres ac Fratres praestantissimi, me nunc loqui de Principis nostri Encyclica missa ad Episcopos provinciarum suarum die 26. Ianuarii huius anni. De hac voce quid dicam, quae inter assiduas regiminis publici curas, sine fastu ac pompa, suavis, mitis, ac blanda a Principe prodiit, atque ad aures Episcoporum illapsa ad eos LVII. articulis ea omnia consideranda detulit, quae in Ecclesiis Etruriae aureorum Christiani nominis temporum nitorem, integritatem, splendorem, ac spiritum possunt restituere? Quid memorem Cyros, Nehemias, Esdras, Constantinos, Theodosios? Cur hîc comparationes instituam? Illud ad summam elogii dixisse sufficiat Principem vere pium Deoque acceptum, ac populi sui exteriorem Episcopum eum ipsum esse, qui ad praeclara facinora praestanda magnum vobis praebet incitamentum.

V. Sed optandum erat plurimum Principis voci et aliam sociam adiungi, quae vos excitaret Ieremiae verbis, admonens iam esse prope dies sanitatis, *tempus medelae*. Haec etiam vos iam vestras percullit aures pridie Kalend. proxime elapsi mensis Augusti, cum ad vos pervenit epistola primi huius Ecclesiae Pastoris, quae nos invitavit, ut simul cum ipso collecti, simul cum ipso ageremus de ratione consulendi Ecclesiae nostrae necessitatibus. Aurea sane epistola, plena sententiis, plena vi, et efficacia suadendi! Huius sensus ipsi legistis eo, qui filios decet, affectu. Ast ego tam vehementer iis commotus sum, ut ab aliqua eorum parte repetenda me contiz

nere

nere non possim . » Id nunc opportune magis esse, „ videtur, ut vos omnes in Iesu Christi nomine ac „ visceribus peramanter amplexatus etiam atque „ etiam orem atque obsecrem, ut id memineritis, „ quod cuique vestrum una cum sacris ordinibus „ collatum est; quae vestra sunt, sedulo consideretis; „ sacra denique iura Pastorum secundi ordinis di„ gnitati inhaerentia excitetis „. Iam et antea saepe Angelus huius Ecclesiae in spiritu mansuetudinis, doctrinae, et sapientiae, nunc viva voce, nunc editis pastoralibus litteris, pro re nata vos allocutus fuerat, ut uni, vel alteri necessitati consuleretur. Sed nunc quod in vobis est, totum exposcit a vobis, totum seipsum exhibens, totumque onus huius Ecclesiae vobiscum una dividens. Vult enim integram, quae suscipitur, huius Ecclesiae restaurationem etiam ad vos pertinere. Hinc consilia et operam vestram exposcit circa abusiones tollendas, vel Religionis officia ad pristinam integritatem revocanda, vel proscribendos errores; vel puriorem doctrinam in Dioecesi nostra sacro iure sanciendam atque habendam pro norma lectionum, atque concionum nostrarum. Haec omnia vobiscum dividit, totumque sibi pollicetur a vobis, ut olim sancti Antistites, Gregorius, Ambrosius, Paulinus in suo quisque Clero spem omnem ac fidissimum praesidium laborum suorum collocare solebant. Sic Dei consilio factum est, ut vox, sententiae, consilia, ac vota Principis simul et primi huius Ecclesiae Pastoris uniantur ad solamen et opem huic Dioecesi ferendam, vestraque propterea studia ad id perficiendum excitanda.

VI. Iam ab eo temporis momento, quo per sacram ordinationem ad vos illapsus fuit Spiritus Sanctus, Pater Caelestis vos miserat in vineam suam, eius-

que

que culturam vobis commiserat. Sed nunc fortunata dies illuxit, cuius memoria nunquam excidet ex monumentis huius Sanctae Ecclesiae Pistoriensis; dies, inquam, illuxit, qua Pater idem Caelestis peculiari titulo vos iterum ad vineam suam iam vobis concreditam invitat, excitatque ad peculiarem ipsius culturam, ac messem colligendam. At ego de hac vinea quid loquar? qui cum omnium minimus sim in ministerio huius Ecclesiae, dicere cogor in hoc tam augusto virorum consessu, omni honore, et veneratione dignissimo? Quid dicam ingenue ac libere, nisi quod Religionis studium quo ipsi flagratis expostulat suadetque dicendum, periculorum instantia, rerum tractandarum gravitas, et Synodalium coetuum cogendorum utilitas atque necessitas? Oculos ergo, Patres ac Fratres, in hanc vineam convertite, ac dicite, utrum illam ipsam agnoscatis? Quin ad remotiora tempora progrediamur, ad eximii vestri Antistitis S. Attonis aetatem ascendite, ex cuius laboribus concionibusque tam uberes fructus ipsa perceperat, ac comparatione instituta perspicite, an recens huius vineae status vel levem imaginem referat illorum temporum. Nonne obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Per saecula elapsa decurrite; memoriam praeteritarum aetatum perlustrate, atque ad nos accedentes intuemini huius Ecclesiae faciem, vicissitudines, variamque fortunam, ac vel ipsam fortasse clamantem audietis... Sed heu! quo me ducit oratio? rem arduam plenamque periculi aggredior. Undique sane coarctor angustiis. Vel enim veritatem alto silentio tegendam mihi esse video, vel si loqui fas est, inclitae multorum Episcoporum memoriae, qui huic Ecclesiae praefuerunt, videri possum iniuriosus. Agenda tamen res est, morbusque qualis, et quan-

tus

tus est, accurate detegendus. Nolo turbare cineres, nec illorum conditioni obtrectare, qui calamitate temporum, aut alia quavis de causa, quae nos lateat, coacti sunt cum animi moerore conspicere praepedita ipsorum ad morbos sanandos consilia, malaque cum gemitu cordis tolerare, vi morborum virtutem parati remedii superante. Haec sane Ecclesia, de qua dicere ingredior, a malis libera numquam fuit, cum fluxu temporum per orbem Christianum late grassantibus. Haec mala doluit ipsa amarissime; praevaricationes vidit et ingemuit. Haerent adhuc diuturnae corruptionis vestigia, quam ipsa contraxerat, postquam surrexissent e Molinistica Schola novi Magistri, prurientes auribus, ausi vel inter Clerum prophana docere, seque iactare ut Angelos pacis, ac pacem ubique portendere, *ubi non erat pax*. Quis enarrare valeat rerum perturbationem, quae inde manavit? Plurima sane eruperunt errorum monstra prorsus religioni contraria. Vel ipsum verbi Dei ministerium corruptum, ac depravatam conspeximus; sacrarum disciplinarum studia ineptissimis scholarum quaestionibus nugisque implicata; excogitata vero et late diffusa nova opinionum figmenta, inaudita Patribus ac penitus aliena a priscis Pontificum decretis. Ex his autem quid aliud fluere poterat ad nostram usque aetatem, quam caecus animi furor, quo plerique capiuntur, et exardescunt adversus quamlibet reformationem quamvis utilissimam, atque ad prudentiae legem exactam; et quamvis cum ea proponitur, non alio spectetur quam ut reflorescat, et redeat ad nos iam paene collapsus Evangelicae doctrinae succus ac spiritus, implent omnia querelis quasi timentes extremam Sanctae Civitatis desolationem, fugiuntque demum cane peius et angue optimae frugis libros, peregrinis iam pridem inductis doctrinis adversos.

VII.

VII. Si quis vero mihi obiiceret, ut ad morbos sanandos remedia indicaret, Synodos in hac ipsa Ecclesia antehac habitas, iis argumento, quod prae manibus habeo, novam vim ac robur adiiceret. Huc vos testes appello, ac vehementius imploro fidem vestram, sapientiam, aequitatem. Versate diu, Patres, versate titulos, capita, paginas decretorum quae in Synodis nostris edita sunt. Ipsi inspicietis, quamvis multa in iis contineantur adprobatione et laude digna, plurima tamen deesse, quae a maiorum nostrorum consiliis quilibet iure expectasset, qui vel levissime in ecclesiasticis rebus versatus esset. Ubinam quaeso reperietis primaevam veterum Patrum doctrinam ubique lucentem puramque ab omni temporum labe? Quid vero cum vel ipsa novissima Synodus, quae coacta hîc fuit anno 1721., desiderari passa sit opportuna remedia, quae adhibenda fuissent ad vindicanda iura sanctissimorum dogmatum redemptionis, et gratiae, quae luculentissime nobis tradiderunt Evangelia, Epistolae Pauli, Patres, atque Concilia unanimi totius Ecclesiae consensione, quibus tamen dogmatibus vulnus inflictum fuerat erroneis hypothesibus privatorum hominum ingenio confictis? Anne, Patres Venerabiles, tam altum, ac ferme insanabile vulnus patiemini? Id ego non puto. Iam in frontibus vestris emicat ardens, quo flagratis, studium restituendi ingenitum atque nativum splendorem pretiossimis veritatibus, quae largiori Dei munificentia ad hominum genus fluxerunt. In vobis est pretiosam hanc haereditatem tuendi facultas ac debitum. Quidpiam quod magnum sit ac singulare, a vobis Orbis Christianus expectat. Iam a diversis quoque Dioecesibus huc convenerunt, ac vobis dexteras iunxere viri complures pietate, ingenio, muneribus, dignitate, doctrina, et eruditione spec-

spectatissimi. Res omnes ita compositae esse videntur, ut faustissima initia exitum quoque faustissimum polliceantur. Hic modo sedetis V. P. ut decreta condatis, quae sint ornamento ac decori Religioni, et fidei, quam ducem atque magistram habetis. Agite ergo, lucemque sequimini propitiam et faustam, quae vos in unum colligit.

VIII. Nec alia sane de causa huius Ecclesiae necessitates dignas studiis, ac laboribus vestris quasi transiens descripsi, nisi ut vobis simul sub oculos ponerem exoptatam, quae demum sese obtulit, occasionem efficaciora pro morbis conquirendi remedia. Vobis id modo agendum est, quod ab aetate Apostolorum fieri coepit, et melioribus saeculis semper fieri ab Ecclesia consuevit. Haec Synodalium iudiciorum ratio, quam S. Carolus Borromaeus afflatui Spiritus Sancti tribuit (1), semper opportunior credita est in Ecclesia pro litibus finiendis, pro extirpandis erroribus, pro fide morumque doctrina tuenda. Innumerabilibus patet exemplis consuevisse singulas Dioeceses in Synodis cum Episcopo, et Sacerdotibus suis fidei caussas agere ac definire, ne vel ipsas definitiones, aut decreta fidei, quae a maioribus sedibus promanabant, unquam excipere, nisi examine instituto, ac prolato iudicio in Synodis Dioecesanis. Ergo quod olim agebatur, id demum nunc agitis. Maiorum vestrorum vestigiis insistite. Eadem iura ab illis ad vos haereditate fluxerunt. Iis firmis manentibus quae ad fidei morumque doctrinam spectant, quaeque unanimi Ecclesiae sive dispersae, sive in Synodis collectae consensione sancita sunt, totum quod reliquum est, iudicio vestro in-

(1) Act. Eccl. Mediolanens. pag. 1229.

subiicitur. Quod divinitus accepistis, nulla est in Ecclesia potestas, quae id vobis adimere queat. Vos alloquor, iudices fidei. Sanctum erit iudicium vestrum, quoniam adestis coram Deo, qui vos constituit ministros Mysteriorum suorum, testes oraculorum, divinaeque suae voluntatis interpretes; qui scrutatur renes et corda, iam animi vestri recessus introspicit, ac ubi flagretis studio promovendae Dei gloriae, iam eritis ipsius promovendae instrumenta. Sedet in Templo ad instar Samuelis Episcopus vester; vos estis ipsius Presbyterium, ipsius corona. Procul ab ipso, procul a vobis sit hoc loco quidquid humanum est. Iam agitur quisque vestrum divino spiritu secundum illud, quod legitur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Ergo iam vivificans Dei Spiritus ad instar aurae complet hunc locum, permeatque augustum Pastorum Senatum, eoque afflante quae proferuntur a vobis, oracula paene divina iam fiunt. In novo veluti Sina consistitis, suosque Moyses pia quadam animi anxietate fidelis populus praestolatur, iisque verbis vos obtestatur ad Heb. 6. v. 9.: *Confidimus... de vobis meliora, et viciniora saluti*.

IX. Haec vota sunt populi sollicitudini nostrae concrediti. Hanc spem de nobis in ipso excitabimus. Ast huiusmodi vota, animique fiducia animis praeconcepta penitus intercideret, si cum agatur de veritate catholicae doctrinae tuenda, deque firmissimo, atque inexpugnabili praesidio iunctis viribus construendo, pateremur nos abripi, vel deterreri dolosis quorundam artibus, qui in id maxime incumbunt, ut quae Dei sunt, perturbent ac destruant. Id iam semper accidisse novimus quotiescumque actum est de collapsa Dei domo restauranda.

da. Id accidit in Synodis Nicaena, Ephesina, Arelatensi, Arausicana, Constantiensi, Basileensi, aliisque. Caveamus igitur ab istorum malis artibus, ac dolis. Amantissimus Pater, cuius praesentia nos erigit, de hac re iam nos admonuerat; iterumque ego vos moneo, nec clamare desinam: Cavete: Cavete ab huiusmodi Pharisaeorum fermento. Terrebunt vos ab hoc sacro monte descendentes spectris, ac larvis imminentium iam vobis criminationum haereseos; vobisque obiicient iactata pericula infamiae nominis vestri incurrendae. Cavete, quaeso; hoc diaboli fermentum est. Quae nobis, oro, esse potest causa timendi, cum Evangelio duce utramque potestatem discernamus, suaque iura utrique propria vindicemus? Quid vero? Ergo ne transferemur in aliud Evangelium, ut dicamus regnum Iesu Christi esse de hoc mundo? Ergone depravabimus receptissimas ex Apostolorum mente, et universae Traditionis disciplina sententias, ut potestati Ecclesiasticae inaniter adulemur, eique iura tribuamus adversus Throni maiestatem et mutua Principum, et subditorum officia? Ergo et apostolicus ordo violandus erit, atque in extremo abiectionis gradu deserenda dignitas Episcopatus, ut iis gratificemur, qui adversus primaeva Christi instituta eam paulatim ad imum deiicere studuerunt? Pessime demum consultum esset conscientiae nostrae, ac veritati, nisi prout Sacerdotes decet, ingenue, ác libere abiicerentur a nobis ea malorum Theologorum commenta, qui sua quaerentes, non quae Iesu Christi, amore capti terrenarum rerum, tueri ausi sunt non paucos errores, iuribus Regum manifeste contrarios in multiplici rerum genere, de quibus felicioribus Ecclesiae saeculis ne minima quidem a Patribus nostris dubitatio mota fuisset.

X. Id semper vobis obversetur menti, quod vestrum est, quod ad vos pertinet, munus scilicet veritatis tuendae, ut non *segnes efficiamini* (verbis utor Apostoli ad Heb. 6.) *verum imitatores eorum, qui fide et patientia haereditabunt promissiones*. Aversatur enim Deus pusillanimes, qui nempe in custodiendo fidei deposito, quod labiis Sacerdotum concreditum est, despondent animum, metuque ac desidia fracti sinunt e manibus elabi opportunam pro veritate pugnandi et vincendi occasionem. Sed iterum repeto: quid esse poterit, quod a munere vestro exequendo vos iure deterreat? Exemplo nobis praeest Magister noster Christus Iesus factus pro nobis anathema. Iam in libello nuper edito intuemini *Iesum Christum sub anathemate constitutum*. In monumentis autem recentioris aetatis incitamento vobis esse possunt illustres Viri acti Dei spiritu, ac vindices intrepidi sanctissimarum veritatum, qui ut has in discrimine positas tuerentur, gravissimos labores, calamitates, persecutiones, exilia alacri animo perpessi sunt. Utinam mihi esset ea vis, ac copia dicendi, qua olim S. Basilius elegantissima oratione elogia contexuit quadraginta Martyrum! Hanc ego hodierna die totam impenderem, ut honorabilia virorum illorum sepulcra floribus eloquentiae exornarem, eorumque labores, certamina, pericula, atque patientiam dignis efferrem laudibus, ac ita verae pro veritate tuenda constantiae specimen, ac perenne monumentum posteritati mandarem. Nunquid nos sanctiores ipsis sumus? Nos, inquam, qui ab iis periculis subeundis, quae illi experti sunt, tam longe distamus? Quare et gravius crimen nostrum censendum esset, si pateremur aut animum deiici vili timore, aut decipi inanibus terrenae prudentiae rationibus. Hic non est, V. Patres, consessus hominum

po-

politicorum, qui privatum bonum cum publico conferant, unumque ex alio metiantur. Non aguntur hoc loco humana negotia, humanis consiliis, rationibus, commodis expendenda. Agitur de rebus Ecclesiae nostrae. Agitur de spirituali tam nostra quam aliorum salute. Hinc abesse debet scientia quae inflat, neque fas est ostentare humanae excellentiae titulos, aut generis nobilitatem, aut alia quaevis humani honoris insignia. Hinc hominum fastus, et aemulatio abesse debet a nobis, qui sacrae necessitudinis vinculo colligati omnes fratres sumus in Christo, paresque Sacerdotio, ac primo huius Ecclesiae Pastori rite subiecti, liberum omnes ex aequo suffragium habemus, plenamque facultatem omni timore vacuam palam edendi intimas animi nostri sententias. Ergo sanctissimis in medio positis ac cuique patentibus Evangeliis, adstat nobis sacer codex, divinitus data legislatio, cui primum mentis attentio convertenda nobis est. Agite igitur, P. Venerabiles, et quae dignitatem vestram decet, animi libertate loquimini. Primus qui vobis adest Ecclesiae Pastor id petit a vobis, ad id vos hortatur, impellit. Iuvat iterum eius verba referre. „ Absit porro (ait in Epist. pastorali cit.) ut „ eo nimirum, quod Sacerdotii plenitudine ego polleam, istiusque Ecclesiae Angeli titulo insignitus, „ et vestrae huius, quae mihi honori simul, ac solatio est, coronae princeps sim, dominationis spiritum animumque mihi audeam arrogare, et ad „ nostram hanc primam celebrandam Synodum advocatos cogere, ut in verba mea iuretis, atque „ iis omnibus, quae per Episcopum constituta sancitaque fuerint, temere ac inconsulto subscribatis „. Potuisset ne clarius vobis pandere animi sui sensus, aut vos vehementius incendere, erigere, confirmare?

 XI.

XI. Caeterum dum hanc animi firmitatem ac robur animis vestris inspirare satago, iam ipsi nostis, Patres ac Domini ornatisssimi, hanc animi vim coniungi oportere cum amore pacis, unitatis, suavisque concordiae, prorsus libero a rixandi libidine, a studio partium, ab aemulationibus, invidiaeque labe, atque a cupiditate vincendi, ab iis demum omnibus vitiis, quae inimica sunt pacis et unitatis. Exuamus igitur animum a praeconceptis opinionibus, ac quidquid humanum est, foris pellamus. Haec propria sunt garrientium hominum, ac litigantium. Ecclesiae negotia contentionibus, ac clamoribus, ut fit in foro, agenda non sunt. Nos enim fratres sumus in Christo, qui propterea debemus ad invicem mutuas animi cogitationes ac sensus libere et ingenue pandere. Ergo ubique spiret amor pacis et unitatis; sive quaestiones in medium proferantur, sive expediantur difficultates, sive consilia expetantur, sive condantur decreta, sive de re qualibet agendum sit, ubique studium se prodat unitatis et pacis. Haec pretiosa haereditas filiorum Dei, donum Iesu Christi, quo veluti nota insigniuntur ipsius discipuli, et quasi gemma exornatur animi zelus qui est secundum scientiam, quo Sacerdotes flagrare debent pro incremento ac pleno veritatis triumpho. Absit a nobis igitur Satanae fermentum, germen discordiae ac divisionis. Pax et unitas exultet in cordibus vestris, omnesque dirigat animi motus, atque consilia. Sed iam ut olim erat mitissimus Iacob, vos modo conspicio sacra supellectili, ac stola indutos, quae Dei primogenitos decet, ac vel ipsa externa corporis forma suavissimum pacis ac lenitatis odorem diffundere. *Sic state in Domino, Carissimi* (ad Philip. 4. v. 2.) sic state in Domino semper, donec inchoatam iam Synodum accu-

rate

tate expleveritis. Nihil vos terreat; atque ut antea monebam contemnite calumnias, dicteria, criminationes, suspiciones iniquas, quas filii discordiarum ubique disseminant. Utinam obstruatur os malignantium! Cooperiantur, Domine, facies eorum confusione, ne opus intercidat manuum tuarum, quod veri Israelitae in hoc tabernaculo aggrediuntur. Quotquot hîc adsumus, veneramur sincero animi studio Beati Petri Sedem, eique consociari tamquam centro Sanctae Ecclesiasticae unitatis gloriamur in Domino. Sed ut animo parati sumus confiteri ac vindicare pro viribus nativa iura Principis orbis terrarum Ecclesiae, sic absque detrimento unitatis, ac sine vel minima mutuae concordiae laesione iure arbitramur inhaerendum plenissime nobis esse eximiis animi sensibus, quos olim expresserunt Gregorius Magnus, Hadrianus primus, Leo nonus, aliique plures Summi Pontifices, qui ab omni fastu ac tyrannide abhorrentes pietate ac doctrina Cathedram veteris Romae illustrarunt. An minus quam par sit paci studere censendi sumus, quod ita decipi non patiamur, ut Gregorii VII., aliorumque eiusdem indolis et ingenii Pontificum placita, agendique rationem probemus? Ergone habebimur hostes unitatis, quod ea principia respuamus, quae ipsam unitatem ac iura Christianae Reipublicae evertunt? Conticescant demum veritatis hostes, ac quoniam veram pacem aversantur, caveamus ab illis, tamquam a sociis Core, Datan, et Abiron. Verum quid dixi? Hoc absit a nobis. Conemur potius eos ad saniorem mentem reducere. Sed quomodo id fiet, nisi tu, pax iucundissima, Dei gratia, illabaris in eorum animos, qui te aversantur, iisdemque inspires amorem, ac suavissimum sensum tui? Certe, Fratres ac Domini, si cura nos tangit unitatis et pacis, si nihil aliud sincere

re exoptamus, quam ut tollantur semina schismatis, ac discordiarum, res inchoanda est nobis a precibus, et exorandus est Deus, ut iubeat fieri lucem, eamque diffundat in eorum mentibus, qui sive defectu scientiarum, sive humanis cupiditatibus abrepti obsistunt veritatis triumpho, nobisque moliuntur eripere fratres necessitudine nobis coniunctos, ac vel ipsis Dei donis, quibus resisti non potest, audent bellum indicere. Nos interim, dum operi incumbimus, ita consilia nostra, labores, et opera secundum prudentiae leges debemus componere, ut ubique se prodat, omnibusque luculentissime pateat studium unitatis simul ac pacis. Tunc enim iure sperari poterit fore, ut vel in ipsis, qui modo nobis adversantur, non iam Core, Datan, et Abiron inveniamus, sed fervidos, intrepidosque Levitas, qui nobis dexteras iungant in opere perficiendo, ac nobiscum dividant fructum laboris atque triumphi Deo sacri, qui Deus est veritatis. Faxit Deus omnipotenti suae gratiae vi, ut haec vota, quae promimus, rata habeantur in Caelis, et exoptatum exitum obtineant, ac ita fiat, ut redimiti gloriae coronis, quae patres decent spirituales populorum, vel ipsam dignitatem magis exornemus, qua super nos ipsos extollimur.

XII. Haec habui, quae vobis breviter dicerem, Patres ac Domini, de hac nobis oblata caelitus opportunitate consulendi Ecclesiae nostrae utilitati, aliorum aedificationi, veritatis praesidio atque decori, pacis demum, unitatis, ac publici boni incremento. Beata tandem dies illuxit, quam eo longius abesse putabamus, quo vehementius erat ipsius desiderium. Iam undique sacri concentus, communes plausus, exultationes, oculique bonorum omnium teneris lacrymis perfusi huius diei laetitiam annunciant. Ergo

ac-

accedite, Pastores populorum, accedite, exultemus in Domino. Iam aedificium construendum est; sed qui aedificat, Deus est. Ergo consilia, rerum ordinem, structuram, res ipsas, atque in his perficiendis solertiam, animique et mentis puritatem, quidquid demum nostri laboris impendimus ad hoc aedificium Deo consecrandum, oportet esse dignum ipsius maiestate.

XIII. At quodnam demum est hominum opus, magno licet labore confectum, nisi res labilis, inconstans, nulliusque momenti, ubi non adiuvetur, atque regatur a gratia Iesu Christi efficacissima, invictissima, indeclinabili ob insitam sibi vim ab omnipotenti Dei voluntate? Hac gratia quasi basi unice innititur spes nostra vel ipso tempore, quo ingemiscimus super egestatem, et inopiam virium nostrarum. Vobis interim hac spe recreatis iudicandum relinquo, quantum accessurum sit animi gaudium et robur, cum de hac ipsa gratia, eiusque vi in hominum animos sermonem habebitis. Iam ea momenta cogitatione praeoccupo, vosque tactos intrinsecus Dei voce, et S. Spiritus operante virtute audire iam mihi videor in haec verba erumpentes: *Non ne cor nostrum ardens erat, dum ipse caelesti penitus ac divino nobis loquebatur impulsu?* Ab his sane faustissimis exordiis ea omnia iure expectamus, quae paritura sunt fructus uberrimos laborum vestrorum; a Deo autem Optimo Maximo misericordiarum Patre pretiosam suo tempore vobis conferendam mercedem. Huc sane spectant (votis annuat Deus) studia piissimi et amplissimi Principis, huc eximii ac vigilantissimi Pastoris, huc vestra, huc mea, huc omnium vota denique spectant.

SESSIO II.

HABITA XIV. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

Quarta post meridiem hora iterum convenere Patres superpelliceo induti, et impositam brachio stolam gerentes. Tum Praefecti excusationibus audiendis per alterum ex Scribis nomina eorum omnium, qui convenerant, scripserunt; quod et in aliis omnibus Sessionibus factum est. Deinde Synodi testes obviam iverunt Episcopo, cerimoniarum magistro praeeunte. Ubi Episcopus palliolo vulgo *Mozzetta* indutus ad Altare accessit et Sacramentum adoravit, praecinuit Antiphonam: *Propitius esto peccatis nostris, Domine, nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum?* quae cantata est una cum Ps. 78. *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam etc.*, genua interim flectentibus ad Faldistorium Episcopo, suoque loco Patribus. Post Psalmum et repetitam Antiphonam Episcopus cathedram adscendit, et acceptis per Diaconum et Subdiaconum sacris vestibus, uti in prima Sessione factum fuerat, sequens Evangelium cantatum est.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lu-

tunicas. Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis primum dicite: pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quae apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum; et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis, et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: appropinquavit in vos Regnum Dei.

Idem, qui in prima Sessione, servatus ordo est, et post versiculum Hymni: *Veni creator etc.* sequentem orationem Episcopus cecinit.

OREMUS.

Mentibus nostris, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes quae tibi sunt placita et dictis exequamur et factis. Per Dominum etc. qui tecum vivit etc.

Post praedictam orationem, cum Praeses Patresque consedissent, ita Sessionis initium factum est.

Episcopus his verbis allocutus est Synodi Patres.

„ Venerabiles in Sacerdotio Collegae et in mi-
„ nisterio Pastorali Adiutores mei, sanctae huius Sy-
„ nodi Promotor in nomine Domini proponere in-
„ cipiet, uti in hac indicenda Sessione significatum
„ est, ea quae expendenda a nobis sunt ac decer-
„ nenda. Sapientiae, pacis, unitatis, et christianae
„ caritatis spiritus cum vobis omnibus sit.

Re-

Responderunt Patres: *Amen*. Tunc surgens Promotor Praesidem, Regium Legatum, Patresque salutavit; mox sedens argumenta singillatim exposuit, quae Fidem, Ecclesiam, Gratiam, et Praedestinationem, morumque doctrinae fundamenta spectant, ea legens, quae sequuntur.

„ Quae de SS. Trinitate, de Divini Verbi Incarnatione, de eiusdem dignitate cultuque, qui ipsi debetur, de suscepta Redemptoris et Conditoris Ecclesiae persona ac munere credenda sunt, Venerabilibus Patribus breviter declaranda proponentur.

„ Statuet deinde Synodus, quae Christus ponere voluerit Ecclesiae suae fundamenta, quibusque eam dotibus ac privilegiis instruere.

„ Eodemque tempore expendetur praecipua eius dos infallibilitas, et quae eiusdem dotis vis et ratio sit, quibusque legibus eâdem fruatur Ecclesia.

„ Exquiretur etiam, an ius habeat Ecclesia nova decernendi dogmata, vel quidquam quod ad fidem et mores pertineat, immutandi.

„ Num fidelibus verendum sit, ne umquam huiusmodi immutatio fiat.

„ Qualia esse debeant decreta Pastorum, ut eadem ipsius Ecclesiae voces dici atque haberi possint.

„ An ullum ius habeat Ecclesia in huiusce Terrae Principes, quaeque ipsi in suis proponendis decretis ratio servanda sit.

„ Rogantur denique Synodi Patres, an quatuor a Gallicano Clero An. 1682. constituti articuli sint admittendi.

„ Proponitur deinde venerabilibus Patribus constituendi necessitas quaenam ratio iniri possit traden-

„ dendae S. Augustini doctrinae, praesertim de „ gratia, et praedestinatione, ut de praecipuis Reli„ gionis dogmatibus maximeque de moralis scien„ tiae praeceptis unum idemque omnes doceant ac „ sentiant.

„ Haec insuper dogmata ac praecepta gravissi„ ma breviter exponet Synodus. Tum de innocen„ tis hominis statu, de eius casu atque culpa, de vi„ tiis in posteros etiam propagatis, de ignorantia „ nimirum et concupiscentia sermonem instituet.

„ Dicetur etiam de Redemptionis necessitate, „ et de ratione, qua Deus consulere hominum saluti „ voluit.

„ Exquiretur quoque, quae sit spiritualis hominis „ aegritudo, quae medicinalis Iesu Christi gratia.

„ In huiusmodi tandem dogmatibus praecipue „ constituentur moralis doctrinae fundamenta; dice„ tur de ignorantia, de inadvertentia, de probabili„ tate, de necessitate credendi Iesu Christi mysteria, „ de animi conversionis indiciis, de regulis in ani„ marum regimine servandis.

„ Denique confirmandi proponuntur Synodo „ nonnulli ex articulis, quos Lovaniensis Universitas „ exhibuit Pontifici Innocentio XI., tum duodecim „ Pontifici Benedicto XIII. exhibiti.

His perlectis primus Synodi Secretarius ea quae sequuntur exposuit.

„ Rogantur huius Sanctae Synodi Patres, ut de „ propositis rebus quaecumque e re esse putabunt, „ tam voce quam scripto proferant atque explicent „.

Tum facto per aliquod tempus silentio omnibusque expectantibus, an quispiam dicere aliquid vellet, cum nullus ad dicendum assurgeret, idem Secretarius addidit:

„ Cum nullus habeat quod proferat, significa-

„ tur

„ tur Patribus, proposita argumenta interioribus Ec-
„ clesiae valvis affixum iri, ut ab omnibus perle-
„ gi possint, atque ut iis attentius diligentiusque
„ perspectis, quae sibi animadvertenda videbuntur,
„ ea quisque proximo die scripta tradere Promotori
„ possit. Interim in Congregationibus cras hora X.
„ matutina, et post meridièm IV. habendis res pro-
„ positae discutientur.

Peracta Sessione, Scriba memoratae propositionis exemplum ad interiores Ecclesiae valvas affigendum curavit.

Interim Promotor Synodi his verbis Patres allocutus est.

„ Religiosus et sapientissimus Princeps, cuius
„ imperio regimur, cuique Etruscae Ecclesiae bo-
„ num maxime cordi est, iam VII. Kal. Februar.
„ huiusce Anni Encyclicam epistolam ad omnes
„ suae ditionis Episcopos dedit de diversis Eccle-
„ siasticis rebus, tum ut ipsi quae de iis sentirent
„ exponerent, tum ut deinceps eaedem in cuiusque
„ Dioeceseos Synodis expenderentur, ac de iis id
„ quod optimum esset, decerneretur. Vestrum est,
„ Venerabiles Patres, tanta pietate Principis sollici-
„ tudini consiliisque respondere. Haec igitur aurea
„ legetur Epistola, eamque vos in omnibus, quae
„ per hanc sanctam Synodum tractanda decernenda-
„ que sunt, ob oculos semper habebitis.

His dictis, et tradita per Promotorem alteri Secretario Encyclica, hic eam e suggestu clara voce, ut intelligi posset ab omnibus, legit; eaque perlecta haec adiunxit: *Si quis Patrum ea, quae modo proposita sunt, per se legere, vel eorumdem exemplum exscribere volet, Promotorem adire poterit.*

Tum D. Canonicus Ioseph Talini unus eorum, qui audiendis absentium excusationibus praefecti fuerant,

rant, Praesidi retulit, quinam superiori die Synodo non interfuerant, tum quinam legitimis de causis alios elegerant, qui ipsorum vices gererent, quinam denique postulabant, ut sibi ad Synodum liceret accedere, atque ait.

„ Ex acceptis mandatis mei est officii certiorem te facere, Praesul. Illustriss. ac Reverendiss., Synodo non interfuisse hosce R. R. Parochos.

„ Doct. Thomam Giusti *S. Salvatoris Parochum*.

„ Doct. Augustinum Barbi *Sambucae Plebanum*.

„ Antonium Melchiorem Lenzi *Artimini Plebanum*.

„ Aloysium Bicci *Plebanum S. Ansani*.

„ Iosephum Torracchi *Priorem Albiani*.

„ Bartholomaeum Piacenti *S. Quirici in Vernio Priorem*.

„ Iustum Bettini *Parochum loci qui dicitur* Pian di Toro.

„ Carolum Bucci *Parochum Bagii*.

„ Ioannem Antonium Taruffi *Parochum Campilii*.

„ Petrum Baldacci *Parochum Paterni*.

„ Michaelem Giuliani *Parochum Polignani*.

„ Laurentium Donnini *Vitolini Parochum*.

„ Leonem Mazzei *Parochum S. Mariae* a S. Mato.

„ Legitimis de causis non interfuerunt etiam, sed alios in sui locum delegarunt.

„ Rev. Canonicus Eques Petrus Scarfantoni *Parochus S. Liberatae* delegavit Sacerdotem Philippum Querci.

„ Rev. Franciscus Lazzerini *Plebanus Quarratae* Doct. Iosephum Matani *Priorem S. Ioannis*.

„ Rev. Dominicus Fanoi *Pitelli Plebanus* Sacerdotem Marcellum Piermei.

„ Rev.

„ Rev. Marcus Notari *Plebanus Popilii* Sacer-
„ dotem Ioannem Baptistam Notari.

„ Rev. Ioannes Petrus Mastripieri *Prior Gelli*
„ Sacerdotem Paulum Thirion.

„ Rev. Thomas Bianchi *Prior Gabbiani* P. Bar-
„ tholomaeum Bartoli *Minor. Observ.*

„ Rev. Bartholomaeus Bruscoli *Prior Casalis*
„ *Pratensis* Doct. Iosephum Pagni *Aioli Plebanum*.

„ Rev. Ioannes Ballerini *Seani Parochus* Doct.
„ Rainerium Meucci *Plebanum Tizzanae*.

„ Rev. Matthaeus Mazzei *Collis Parochus* Doct.
„ Thomam Giusti *S. Salvatoris Parochum* qui non
„ interfuit.

„ Rev. Ioannes Mori *Parochus loci qui dicitur*
„ *Calamecca* Sacerdotem Aloysium Mori.

„ Rev. Ioannes Magnini *Pracchiae Parochus*
„ eundem Sacerdotem.

„ Accedendi vero ad Synodum postularunt fa-
„ cultatem qui sequuntur.

„ Iacobus Franceschi.
„ Doct. Iosephus Busoni.
„ Bartholomaeus Bianchi.
„ Marcellus Piermei.
„ Matthaeus Petrucci.
„ Angelus Bongiovanni.
„ Ioachim Gherardi.
„ Bartholomaeus Tronci.
„ Ioannes Gualbertus Pagnini.
„ Ioannes Andreas Farinati.
„ P. Bartholomaeus Bartoli *Minor. Observ.*
„ P. Ludovicus Sammicheli *Ord. Serv.*
„ P. Antonius Bartoli *Min. Conv.*
„ P. Iosephus Binelli *Augustin.*

„ Quid, Reverendiss. Pater, de his omnibus sta-
„ tuendum existimas „? Respondit Episcopus.

„ Si

„ Si venerabilibus Patribus placet, Delegati, et „ postulantes Sacerdotes admittuntor. Quod vero „ ad alios spectat, moneantur, ut exponant, cur Synodo non interfuerint, ut re perspecta, antequam dimittatur Synodus, ea decerni possint quae sunt „ Canonibus consentanea.'

Hoc accepto responso excusationibus audiendis Praefectus, Praeside, et Legato Regio salutatis, ad suum locum rediit. Mox peracta Sessione et cum aliis duobus Collegis communicata re, quamprimum literas ad absentes mittendas curavit.

Deinde dato per Synodi Praesidem concionis dimittendae signo, Secretarius, primae Sessionis servato more, proximam Sessionem indixit hac formula, quae consueto loco affixa est.

„ Illustriss. ac Reverendiss. noster in Christo „ Pater Scipio de Ricciis Pistoriensis et Pratensis „ Episcopus huius Sanctae Synodi Praeses statuit „ futuram Sessionem mane hora octava proxima „ quarta Feria die 20. Septembris habendam. Hortamur itaque singulos, ut conveniant non modo „ propositas res in eadem Sessione decernendi causa, sed ea etiam pertractandi, quae generatim ad „ Sacramenta, tum ad Baptismum, Confirmationem, „ et Eucharistiam pertinent.

Episcopus deinde benedictionem de more impertivit, et, uti in Sessione I., dimissa Concio est.

EPIS.

EPISTOLA ENCYCLICA

DATA MAGNO IUBENTE

ETRURIAE DUCE

AD OMNES EIUS DITIONIS

EPISCOPOS

Illustrissime ac Reverendissime Domine

Cum Magnus noster Etruriae Dux illud imprimis, ac praecipue curandum sibi esse intelligat, ut a sanctissimae nostrae Religionis cultu omnes tum consuetudines, tum opiniones a sincera pietate atque a veritate alienae, eaque removeantur impedimenta, quae in causa sunt, ut eadem Religio in aureum illum pristinae simplicitatis, perfectionis, ac splendoris statum restitui nequeat; nihil praeterea illi magis cordi sit, quam maximum illud, ac sibi necessario perficiendum munus exequi, ut nempe populus vera Religionis officia ex purissimis eiusdem hausta fontibus edoceatur; ut Ecclesiae ministri, omnisque Clerus in suo sanctissimo gravissimoque obeundo munere maiori in dies veneratione dignos, ac populo utiliores se praebeant (quod sane aliter, atque honestae vitae ratione, prudentia, doctrina, atque optima eorum, quibus praesunt, institutione obtineri nequit): haec secum animo diu atque attente reputans diversa agitavit, suaque manu con-

scrip-

scripsit consilia de iis praesertim rebus, quae ei visae sunt necessario perficiendae, ut ad optatissimum hunc finem perveniri posset, et quaecumque religionem spectant, reddantur quammaxime consona tum sacris Canonibus, tum veteri Ecclesiae disciplinae, quae in maxima veneratione, atque honore esse debet apud omnes, et a qua postremis hisce temporibus maximo eiusdem Ecclesiae detrimento nimis longe recessum est propter innumerabilia, quae vel ambitio, vel lucri cupiditas, vel aliud quodvis humanae prudentiae commentum invexit, a doctrina moribusque maiorum penitus abhorrentia.

Quam sane gravissimam rem, omnique studio tractandam etsi Magnus Dux nullo non tempore habuerit ob oculos, eoque omnia eius animi vota, cogitationesque praecipue spectarent; plurimis tamen aliis distractus regni curis, metuque deterritus, ne in re tam gravi aliquid, etsi optima mente animoque, vel suaderet, vel imperaret, quod Ecclesiae menti ac legibus aliquo pacto adversaretur, aut a malevolis hominibus nimiumque suae utilitati servientibus in peiorem partem trahi posset, ita ut rudi ignaroque populo intempestiva praeberetur offensionis occasio, maiusque remedio adhibendo malum excitaretur, a tanto suscipiendo opere abstinuit.

His itaque animadversis, nihil de huiusmodi rebus decernere voluit, nisi prius suorum consiliorum utilitas ad salutem et *aedificationem* populi, eorumque cum Ecclesiae disciplina, sacrisque sanctionibus convenientia sibi certo constaret. Et cum plurimum intersit, ut in tanti momenti rebus, in iis praesertim, quae religionem spectant, iidem ad edocendum populum tractentur libri, eadem in toto

F re-

regno atque in singulis dioecesibus vigeat studiorum ratio, sua haec de rebus Ecclesiasticis animo iam concepta consilia universis Etruriae Episcopis aperire statuit, quemadmodum per hasce uno eodemque exemplo conscriptas, ac datas omnibus literas aperit, ut ipsi eo, quo flagrant, verae religionis, recti ordinis, disciplinae Ecclesiasticae, saniorisque doctrinae studio suis et consiliis, et sententiis adiuvare possint, quo eadem facilius perficiantur.

Omnes itaque sibi consulendos decrevit Etruriae Episcopos, ad quos hac ipsa die collectas a se propositiones mittit in cuiuslibet postea dioeceseos convocanda Synodo, ut diligenter excutiantur, ac de iis decernatur, exhibendas; ea vero in his propositionibus continentur, quae Magno Duci de huiusmodi rebus statuenda videntur, nude ac simpliciter, ut illius sese menti obtulerunt, exposita. Cum enim sapientissimo suorum Episcoporum iudicio eas vellet subiicere, nihil pleniori explicatione, nihil testimoniis, auctoritatibusque opus esse censuit, ut ostenderetur, quam SS. Patrum doctrinae, Ecclesiae dogmatibus, sacris Canonibus, ac Tridentini Concilii decretis apprime congruant.

Has itaque propositiones ut attente, tuoque commodo expendas, REGIA CELSITUDO cupit, quas mox exacto sex mensium spatio, pridie nimirum Kal. Aug. reddes, eidem REGIAE CELSITUDINI rescribens, tuamque de qualibet re proposita sententiam libere, et confidenter exponens, nullius rei habita ratione, sed unice commissarum tibi ovium salutem, ac disciplinae Ecclesiasticae sanaeque doctrinae restitutionem spectans: omnemque proponendi adiiciendique, quidquid tibi expedire magis videbitur, eaque notandi, quae vel reiicienda penitus

vel

vel ne executioni mandentur, prudentia postulat, dari tibi facultatem existimes. Ego interim observantiae plenum erga te me esse profiteor, tuique,

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

Florentiae 7. Kal. Febr. 1776.

Pistoriensi, et Pratensi
Episcopo.

Obsequentissimum, atque addictissimum Servum,
VINCENTIUS DE ALBERTIS.

I. Postulat Ecclesiae bonum, ut Dioecesanae celebrentur Synodi, in quibus Episcopi per suos Parochos, aliosque sacros probatae vitae ministros certiores facti malorum, quae forte in eorum greges irrepserint, promptum atque efficax iis possint una cum Clero remedium adhibere. Hoc itaque Magno Duci in votis est, ut singuli suae ditionis Episcopi saltem quolibet biennio Synodum habeant, primaque eiusdem convocatio fiat aestate an. 1786. sperans fore, ut omnes una cum suis Parochis, quin habitas ante Synodos sibi unice proponant ad imitandum, sanae doctrinae, regnique legibus firmiter inhaerere glorientur.

II. Iis autem, qui tum in civitate, tum in agris Ecclesias regunt, maius est ad Synodum accedendi ius, quam Canonicis, Beneficiariis, aliisque Dioeceseos vel Presbyteris, vel Clericis. Cum tamen aliquid vel damni in populum, si pastoribus destitutae manerent rurales praesertim Ecclesiae, vel incommodi in Parochos ipsos derivare possit; cumque in nonnullis Dioecesibus propter ingentem eorum, qui suffragii iure gaudent, multitudinem difficiliores tardioresque deliberationes fieri necesse sit, omnibus ad Synodum convocatis Parochis, postquam de rebus in Synodo tractandis statuendisque cuiuslibet regionis, quam *Plebis*, aut *Vicariatus* nomine appellant, Curiones diligenter cognoverint, aliquem spectatae probitatis et sapientiae virum in sua quisque regione eligere poterunt, qui absentium Pastorum mandato ac nomine Synodum adeat.

III. Cum vero necesse sit, ut unam eamdemque omnes insistant viam, mandat Regia Celsitudo Episcopis, ut qua huiusmodi conventus habendi ra-

tione

tione sint, quis in proponendis decernendisque rebus servandus sit modus, quo per diversos, uti vulgo dicunt, *Vicariatus*, aut *Plebatus* distribuendae sint ordine, ipsi videant, ac proponant.

IV. Optat etiam, ut singuli Episcopi ea proferant, quorum examen deliberationemque ad Synodum Dioecesanam pertinere arbitrabuntur. Et cum opus sit, ut publicae corrigantur precationes, siquid in iisdem occurrat Ecclesiae doctrinae contrarium, id maxime curetur in Synodis, ut quae vulgo *Missalia*, ac *Breviaria* dicimus, reformentur; falsae ex iis, errorumque plenae expungantur historiae; tota singulis annis Scriptura legatur; atque ita demum emendata Ecclesiastici Patrimonii sumptibus iterum edantur in lucem.

Expendatur etiam, quomodo nimia illa, quae invaluit, crebro, temere, sine causa, atque unice ob quamdam iuris solemnitatem, atque ex forensi consuetudine iurandi licentia coërcenda sit. An insuper praestet in Sacramentis administrandis patrio sermone uti, quo etiam latinae linguae prorsus ignari, quae pietatis sensa Ecclesiasticis precibus, ac cerimoniis insunt, assequi mente valeant. An denique ad frequentis *Simoniae* periculum removendum, Ecclesias conferendi ius populo abrogari satius foret.

V. Ea etiam maximi momenti res habenda est, ut in primaeva suae dignitatis, ac potestatis iura, in quae paullatim invasit Romana Curia, restituantur Episcopi. Exquiri itaque posset, eas inter facultates, quas eadem Romana Curia sibi arrogavit, quaenam habendae sint, tamquam Episcopis iniuste ademptae, adeoque recuperandae, atque in his praesertim, quae sequuntur.

Eos ordinandi facultas, qui vel generis, vel aliquo corporis vitio laborant. Id autem, veluti lex, statui posset, ut nulla neque detur, neque data ab aliis recipiatur, ac probetur gratia, ad *interstitia*, ad genus, atque etiam ad aetatem quod pertinet, nec si quis simplici aliquo, atque etiam sui iuris patronatus beneficio fruatur.

Facultas divinum cum aliis precibus commutandi officium; *votivam* celebrandi Missam morbo aliquo affectis concedenda; Examinatores, quos *Pro-Synodales* vocant, eligendi.

Suppositam gestandi comam; quam facultatem aboleri fortasse praestaret.

Officiorum, *Missarumque* onera vi cuiuslibet beneficii, vel ut vulgo dicunt, *Capellae*, *Pii Officii*, aut legati imposita alio transferendi, minuendi, redigendi, remittendi, aut cum aliis pietatis operibus commutandi. Liberatio a votis simplicibus, aut ipsorum commutatio. Sacrarum Virginum collegia, aut *Monasteria* ingrediendi puellis, aut primo propinquitatis gradu coniunctis, ibique commorandi convivendique tum cuiuslibet aetatis puellis, tum viduis concedenda venia.

Abbatissis, aliisque Antistitis Monasteriorum praefecturas prorogandi.

Monialibus balnea, suorumque propinquorum domos valetudinis ergo adeundi, atque ex uno in aliud coenobium, aut ex coenobiis in aliquod *custodiarium* commigrandi.

Item efficiendi, ut iusiurandum suppleat locum testium, qui aliquem sui iuris esse, atque ab omni coniugii vinculo solutum confirment.

Regulares in *Saecularium* Clericorum statum redigendi, Ecclesiastico aliquo ante assignato titulo; aliaque omnia facultatum genera, quae proponi posse existimabunt.

VI.

VI. Quod vero ad eas pertinet, quas Matrimoniales dispensationes dicunt, inquiri posset, an quibusdam constitutis consanguinitatis, et affinitatis gradibus, in quibus nullam umquam fas esset concedere immunitatem, aut gratiam, posset Episcopus ea, qua pollet, auctoritate, sed gratuito, a caeteris solvere. An item expediat, spiritualis cognationis impedimentum penitus abrogare. Quid demum de publicae honestatis, conditionis, erroris, aliisque impedimentis sit statuendum.

VII. Refert maxime, ut omnes tum saeculares, tum regulares Ecclesiae ministri iisdem imbuti sint moralis disciplinae praeceptis, eamdem ineant studiorum rationem, eidem in administrando praesertim Poenitentiae Sacramento doctrinae inhaereant. Expedire ergo videtur, ut tam in Seminariis, Ecclesiasticis Academiis, publicis Athenaeis, sive *Universitatibus*, quam in Regularium Coenobiis eadem praescribatur docendi ratio, eaque ab Episcopis una cum auctoribus praelegendis proponatur, ita tamen ut in sacris studiis D. Augustini doctrinam sequi universi debeant, a qua qui vel minimum recederet, neque confessionibus audiendis haberi posset idoneus, neque demum ad illa scientiae pericula atque experimenta, quae *Concursus* vocantur, admitti.

VIII. In eum unice finem, ut eruditiores probatioresque, ac magis de Religione, deque animarum salute solliciti praeficiantur Ecclesiae ministri., accurate expendant necesse est, quid de ordinationum titulis decernere magis expediat.

Solae, quae vulgo appellantur, *Paroeciae*, aut *Capellaniae*, quibus animarum cura adiuncta est., magis legitimi videntur ordinationibus tituli; nisi forte aliquem in Parochi, Confessarii, ac Sacerdotis ministerio exercendo rudem prorsus, atque imperi-

 tum,

ritum, et cuius nondum satis fuerit usu probata vocatio, ad eas promovendi periculum obstaret.

Simplicium Beneficiorum, ex quorum reditu post adimpleta eorumdem munia id superest, quod Beneficiario alendo sit satis, eoque magis sui patrimonii titulus otiosos plerumque Sacerdotes efficit, qui habentes, quo bene victitent, in opus ministerii incumbere negligunt, praesertim vero cum Paroeciarum Ecclesiae ab ipsorum domibus longe absunt, aut difficilem per ardua, ac praerupta loca aditum habent.

Titulus vero, qui ex quodam celebrandarum Missarum onere ducitur, atque is praecipue, qui propter operam, ac sedulitatem alicui Ecclesiae praestitam privilegio quodam invectus est, minus quidem ex lege est; verum magis impigros, Ecclesiasticorum munerum peritiores, ac fortasse etiam eruditiores Ecclesiae ministros suppeditat. In uno enim Clericicali munere aliam victum sibi comparandi viam praeter impigrum laborem et doctrinam non vident.

Haec igitur omnia, atque item canonicas sanctiones, et quae vel experientia, vel suae Dioeceseos status eos melius edocuerit, Episcopi suscipere poterunt consideranda, ac deinde quid Ecclesiae bono, ac spirituali populi gubernationi accommodatius sit, omni alia ratione posthabita, expendere et constituere.

Ut vera Chalcedonensis, ac Tridentini Concilii Sess. 23. c. 16. decreta vigeant, cum de malis, quos Ecclesiae dederint, ministris Deo reddenda ipsis ratio sit, quaecumque decernatur ab eis methodus, ii semper a sacro ministerio essent removendi, quos titulo quovis licet instructos, neque verae vocationis indicia prae se ferre, neque integritate vitae, neque ingenio, neque doctrina praestare cognoverint, ita ut spes nulla affulgeat, eos in

sa-

sacro exercendo munere utiles aliquando fore. Etsi quandoque privatum (modo fictitium non sit) patrimonium probetur, ex eo saltem 60., ut aiunt, scutata, deductis oneribus, quotannis redeant. Ea enim de causa ab iis, qui ordinantur, patrimonium exigitur, ut sive morbo, sive alia calamitate afflictis suppetere possit victus, quin suam omnem in Missarum stipendio spem ponant, atque indigna sacris personis obire cogantur ministeria.

IX. Ex his consequitur, ut exceptis Seminarii alumnis nulli unquam *Tonsura*, aut habitus Clericalis conferatur, antequam decimum octavum attigerit aetatis annum, ac nisi prius certissima probitatis, integritatis, ac proni ad Ecclesiasticorum munerum rationem ingrediendam ingenii, et vocationis argumenta dederit.

Quod vero ad eos spectat, qui aliquod beneficium obtinent, eorum ad Ecclesiasticum amplectendum statum parem saltem aetati proclivitatem certo constare necesse foret, ita ut filii non parentum studiis, aut commodo impulsi, sed Tonsuram ultro ipsi peterent. Ne quis igitur adolescens minor natu decem, et octo annis in Clericorum numerum adscribi queat, ut Ecclesiasticis muneribus vacet.

Videant proinde Episcopi, quomodo minutulus ille puerorum Clerus ab Ecclesiis, quas Cathedrales, aut Collegiatas vocant, semoveri, et quae alia Ecclesiarum ministerio consulendi ratio iniri queat, ipsi proponant.

Certum etiam de optimis eorum moribus, atque in studiis pro aetate progressu testimonium haberi oportet.

Si qui vero omni desituti beneficio Ecclesiae initiari Tonsura postulant, praeter vocationem, probosque mores exigi ab iis posset, ut Rhetoricae

sal-

saltem studia confecerint. Quod si Cathedralibus, aut Parochialibus Ecclesiis usui foret ea aetate adolescentes ad officium iisdem ministrandi admittere, qua nondum Rhetoricae cursum absolverint; quin Ecclesiastico muneri Tonsura initientur, possent Episcopi Clericalem habitum gestandi ipsis tantum concedere facultatem.

Quoties vero ex hoc ad alium altiorem Ordinem ascendunt, eadem in eorum vocationem, mores, ac studia severissima inquisitio repetenda foret.

Postulari etiam posset, ut qui ad Subdiaconatus Ordinem sunt promovendi, sedulam neque inanem sacris doctrinis operam tribus saltem annis dederint; qui vero ad Diaconatum, quatuor; qui demum Sacerdotes cosecrandi sunt, universum Theologiae cursum confecerint. Nullus praeterea ordinari possit Clericus, nisi prius in Episcoporum Seminariis per aliquod tempus fuerit, aut Cathedrali, vel Parochiali Ecclesiae inservierit. Quantum vero quisque in studiis profecerit, severo accuratoque examine, suorumque Doctorum testimonio palam fiet; maiorque Professoribus, ac Magistris, iis praesertim, qui in Universitatibus, aut Ecclesiasticis Academiis docent, fides habenda erit.

XI. Quoties vero contigerit, ut ante Subdiaconatus ordinem ad aliquem ex minoribus Ordinibus quisquam sit promovendus, optandum maxime foret, ut si eum vel tardi ingenii, vel in studiis literarum segnem, atque indulgentem deprehenderint, ordinationis differendae loco, eum aperte, atque humaniter ad capessendam aliam vitae rationem hortarentur potius, quam in concepta ulterius progrediendi spe, permoti nescio qua miseratione, relinquerent; atque ita illi ad alia studia, aut artes, quibus vi-

vivere commode possent, omni praeclusa via, assiduis tandem victi precibus eum licet minime idoneum ordinare cogerentur.

XII. Tot, ac tam gravia sunt Sacerdotii munera, ut nemo ad illud, nisi re diu ac mature pensata, deberet accedere. Omnis itaque tum ab aetate, tum ab iis, quae interstitia dicuntur, reiicienda foret diſpensatio, et quod ad interstitia pertinet, ea ex Tridentinae Synodi mente prudenti Episcoporum arbitrio relinquenda.

Inter caetera vero constituta per Canones impedimenta, Episcoporum erit expendere, quae veluti nullius, aut parvi momenti perpetuo, aut quibusdam temporibus abroganda forent, vel a quibus neminem unquam solvere, ac liberare fas esset.

XIII. Postulari etiam posse videtur, ut Parochialium Ecclesiarum, Capellarum, quae adiunctam habent animarum curam, Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum candidati tres annos a suscepto Sacerdotii ordine in aliquo Lyceo, aut Ecclesiastica Academia, vel apud aliquem spectatae auctoritatis Doctorem, cuius testimonia exhibere debent; morum et scientiae specimen dederint; tum in sua quisque Paroecia Concionatoris, Institutoris, aut Cathechistae, vel Confessarii munus exercuerint; aegris adfuerint, ac morti proximis; Ecclesiasticas functiones peregerint; collationes, quae de sacris rebus, moribusque habentur, frequentaverint.

Quae quidem omnia exigi etiam ab iis possent, qui ad Parochiales Ecclesias, aut alia Beneficia animarum curam habentia per privatos patronos praesentantur, quibus id iuris non est, ut minus idoneum Ecclesiae ministrum dare possint; ac potiori iure populus fidelis postulat, ut optime instituatur, sibique sedulo inserviatur.

XIV.

XIV. Animadvertendum Episcopis, quid tum de augendo Missarum stipendio, quamdiu necesse erit, ut eius accipiendi consuetudo vigeat, tum de minuendis cuilibet Beneficiis, aut Capellae impositis Missarum, Officiorumque oneribus decernere expediat, in eum praecipue finem, ut is alatur ministrorum numerus, quem suae dioeceseos necessitas, atque utilitas populi postulabit.

In minuendis autem, atque aliô transferendis Missarum oneribus curandum foret, ut iis Ecclesiis praesertim urbanis, in quibus Missae populi usui et commoditati supersunt, is detraheretur, et ruralibus Ecclesiis addiceretur ipsarum numerus, qui Parocho, eiusque Coadiutoribus sit satis, ne ullus praetendi possit a sua Ecclesia eius rei causa discedendi titulus.

XV. Ea esse videtur Ecclesiae mens, ut nullus plura simul Beneficia, licet simplicia obtinere possit. Quod certe de iis omnino sentiendum est, quae beneficiarii praesentiam atque assiduitatem postulant; de quibus decerni oporteret, ut nulla unquam iis quomodolibet obtenta derogatio, aut dispensatio suffragetur.

Ea simplicia excipi beneficia possent, quae privati iuris patronatus sunt, cum nulla de iis fieri mutatio queat, quin eadem vel conferendi, vel obtinendi ius ad privatas familias pertinens, ac solemnes illae laedantur leges quasi contractus iure in creandis beneficiis constitutae.

Beneficia vero simplicia, quorum collatio vel ad Ecclesiam, vel ad Regem, ad Communitates, aut Pia Loca pertinet, cum tenues eorum reditus sunt, una cum fundis, atque oneribus unienda forent, atque ad eum numerum redigenda, ut ex unoquoque 60. scutata, ut aiunt, post adimpleta ipsorum

rum

rum officia quotannis redirent. Quod ut facilius fiat, addi eisdem possent Capellae, ac Legata Missarum; eaque ita ad minorem redacta numerum, atque aucta proventibus, iis Paroeciis, quae maiori ope, ac ministerio indigent, adsignari possent, imposita iis, veluti Beneficiis animarum curam habentibus, praesentiae atque assiduitatis onere, ita ut beneficiarius in sacris functionibus Parochiali Ecclesiae inservire, audire confessiones, infirmis adesse teneatur. Hic vero admonentur Episcopi, ut ea accurate servent, quae in datis nuper de Laicorum patronatus iure literis continentur.

XVI. Quod spectat ad Beneficia, quae residentialia vulgo appellantur, ne Cathedralium quidem, et Collegiatarum Ecclesiarum exceptis Canonicatibus, et Capellaniis, quaevis vetanda surrogatio, aut surrogandi facultas, quoties sive morbi, sive ingravescentis aetatis causa ipsi per se interesse non poterunt beneficiarii, relicta iis iuxta atque adessent, Beneficii fructus ac reditus percipiendi potestate; quin per huiusmodi substitutiones detur alteri in Beneficii possessionem succedendi ius, quod veteribus Ecclesiae sanctionibus adversari omnino videtur.

XVII. Ex simplicibus Beneficiis autem tum ea, quae Ecclesiastici, aut Regii, aut Communitatis, Piorumve Locorum iuris patronatus sunt, in residentialia Beneficia, ut supra dictum est, convertenda, tum quae alicuius rei causa ita immutari nequeunt; (siquid huiusce generis superesset) nec non universa simplicia Beneficia, quorum collatio ad privatos pertinet, ut Dioecesanis tantum in Dioecesi revera manentibus; quae vero privati iuris patronatus non sunt, alicui Dioeceseos Ecclesiae inservientibus unice conferantur, decerni posset.

Quod

Quod demum ad Beneficia, quae per concursum, ut aiunt, conferuntur, nec non ad universas Parochiales Ecclesias, etiam privati iuris patronatus spectat, non solum Dioecesani, sed ex regiis mandatis, quae rata manere debent, etiam subditi exigenda conditio est.

XVIII. Cum vi eorum, quae superius Articulo XV. de simplicibus Beneficiis proposita sunt, magna ex parte Beneficiorum fructibus cárituri sint Clerici, quamdiu ad Sacerdotii gradum non pervenerint, nec ipsis fuerit convenienter provisum, necesse foret, ut Episcopi pro suae quisque Dioeceseos necessitate Ecclesiasticas instituerent Academias, expeditiorem eas instituendi modum proponerent, iisdemque pares compluribus alendis gratuito Clericis opes attribuerent; ut nemini eorum, qui optimum cum vera vocatione ingenium, morumque integritatem coniungentes perutilem Ecclesiae operam praestare aliquando possunt, ad Ecclesiastica munera viam inopia praecluderet.

Institutis hoc pacto, quot satis esse possint, Academiis, considerandum superest, an decernere oporteat, ut nullus deinceps ad Ecclesias Parochiales etiam privati iuris patronatus petendas possit accedere, nisi in iisdem Academiis sublimiores scientias didicerit, atque in Parochialibus ministeriis sese aliquandiu exercuerit.

XIX. Episcoporum etiam erit expendere, an in deleto aliquo Coenobio constitui possit locus, quo Parochi omnes, Coadiutoresque partim hoc, partim alio tempore spiritualibus exercitationibus vacaturi sese debeant quotannis recipere.

XX. Quisquis consecratur Sacerdos, in omnibus Sacerdotio inhaerentibus officiis populo, atque Ecclesiae inserviendi munus in se recipit. Cum vero

ro

ro Sacerdotis sit, non rem Divinam tantum conficere, sed tum concionibus, tum Sacramentorum Ecclesiae dispensationi, Christianoque populo ministrare, aegrotis adesse, atque ita Parochis opem ferre; tum quinam ad haec omnia exercenda munera pro cuiusque viribus, ac facultate alacres, atque expediti effici queant, videtur omni studio inquirendum.

XXI. Singuli Sacerdotes, qui residentiale Beneficium obtinent, Ecclesiae illi, in qua Beneficium, constitutum est, addicti esse deberent; simplices vero Presbyteri Ecclesiae Parochiali, in qua versantur, subiectique Parocho Missam, cum populo commodum est, atque hora a Parocho ipso constituta celebrare; Confessiones, si ii sint, quibus huiusmodi facultas detur, audire; infirmis, postulante Parocho, adesse; Parochiali Missae, vespertinis horis, aliisque sacris rebus Ecclesiastico induti habitu interesse. Parochi autem erit singulis sex mensibus, quomodo illi se gerant, suisque fungantur officiis, ad Episcopum referre.

XXII. Pravae etiam consuetudini occurrendum esse videtur, qua nimium auctus est illarum sacrarum aedium numerus, quae ut plurimum inornatae, atque indecorae tam in ruralibus, quam in urbanis privatorum domibus existunt, quaeque a Parochiali Ecclesia nulla legitima causa familias avertunt.

XXIII. Ea igitur, quae Oratoria dicuntur, et quaevis alia privata Sacella in domibus praesertim urbanis posita, nullo personarum discrimine, privilegio quolibet, diplomate, aut facultate nihil obstantibus, tollenda prorsus essent; ut plurimum enim in Civitate, atque in eorum domibus sunt, qui Ecclesiam quovis anni tempore adire commode possunt. Ex ruralibus vero Ecclesiis, atque aediculis non Parochialibus eae solum relinquendae videntur, quae a Parochiali Ecclesia longe distant, atque ex

ipsius

ipsius Paroeciae usu esse possunt, modo semper obnoxiae sint Parocho. Villarum vero Sacella, quae tantum earum Dominis, atque incolis villae inserviunt, tamquam privata habeantur; ac tum solum in iis Missam celebrare liceat, cum Domini rusticantur; nullae tamen agantur functiones, nisi quas permiserit Parochus, cuius etiam erit providere, ut ea, qua par est, dignitate fiant, et munda sit, divinoque digna cultu sacra supellex. Praecipiendum denique foret, ut in solemnioribus festis clausa omnino manerent.

XXIV. Illud quoque expedire videtur, ut Episcopi exteris Sacerdotibus nullius Ecclesiae ministerio in sua Dioecesi addictis celebrandi facultatem, nisi per paucos dies, omni adhibita cautione ac diligentia, non concederent; perspectâque longioris ipsorum morae necessitate, unâ tantum Ecclesiâ huiusmodi facultatem circumscriberent, horam constituerent, Parochi voluntati eos prorsus subiicerent, donec melius probentur, et innotescant.

XXV. Omni quidem studio curandum est, ut constituti iam diu ab Ecclesia de Clericorum honestate canones accuratissime observentur. Cogendi itaque sunt, ut Ecclesiasticum semper habitum gerant, et in civitate, nonnisi talari veste induti, in publicum prodeant. Vetandum insuper, ne profanis quibusque spectaculis, intersint neve ad theatra, aliaque publica loca adeant, quo confluere multitudo solet; ne ad illa veniant diversoria, in quibus varia veneunt potionum genera, vulgo ab Italis *Caffè* nuncupata, aut ubi globulis eburneis praelonga hasta lignea solerter impulsis luditur, qui ludus apud nos *Billiardo* dicitur; ne ad venalium rerum fora, aut nundinas accedant; ne venationes, ludosve exerceant; ne procuratoris, rebus familiari-

ribus praefecti, exactoris, sollicitatoris, aliisque Laicorum propriis fungantur muneribus; ne ullam rerum administrationem suscipiant, quae ad rationes reddendas eos adigat; ne demum aliis Ecclesiastica persona indignis ministeriis implicent sese. Liceat vero eis erudiendae iuventuti, aliisque publicum bonum spectantibus officiis vacare.

XXVI. Cum unus praesit cuilibet Dioecesi Episcopus, ac nihil aliud Canonici sint, quam ea Cleri pars, cum qua simul olim vivebat, cuius utebatur consiliis, quae illi in sacris functionibus aderat, operae pretium esse videtur, ut una sit in qualibet Dioecesi Cathedralis Ecclesia, atque adeo Collegiatae omnes, earumque dignitates, et Canonicatus tollantur, pro quibus constituatur in iisdem Parochus solo Parochi titulo insignitus (qui sane titulus divinitus institutus aliis omnibus praestat, ad fovendum hominum ambitionem deinceps excogitatis) atque is praeterea Sacerdotum numerus, quem Ecclesiae, ac populi ministerium postulat, solo Capellani, aut Coadiutoris nomine: atque ita ad populi commoditatem, atque usum in totidem animarum curam habentes Capellas Canonicatus convertantur, imminuta etiam in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis nimis ingenti Canonicorum, aliorumve ministrorum multitudine.

XXVII. Certa quaedam ab Episcopis statuenda videtur lex in festis, in Sacramenti, ut aiunt, expositionibus, piisque quadraginta horarum, aut novendialibus exercitationibus ab omnibus servanda Ecclesiis, ita ut nihil desit, quod deceat; immodici apparatus absint. Atque in decernendis huiusmodis festis, expositionibus, ac novendialibus sacris, quae solum celebrare fas esset, ea potissimum retineantur, quae pia ac vetus consuetudo iam con-

firmavit. Praecipiendum foret, ne Dominicis, ac solemnioribus diebus ulla in honorem Sanctorum celebrentur festa. Templi parietum ornatus, nimia facum copia, theatricus ille, atque operosus tam vocum, quam musicorum instrumentorum concentus intercidendus omnino esset, organo tantum excepto, ac sobria illa modulatione pronunciationi viciniore, quam cantui. Regiae autem potestatis, et curae erit profana illa abolere spectacula, quae in vicinia templorum sacris solemnibusque diebus edi hactenus consueverunt. Praescribendum etiam, ut sacra omnia, solemniora festa, expositiones diurno tempore, et ante primas noctis tenebras absolvantur; ne inverecunde ac luxuriose ornatis faeminis pateat aditus in templum; ut ipsae secretum a viris locum in eo teneant (quod ut fiat, sodalitiorum famuli, atque aeditui diligenter curabunt); ne cui pauperum stipem in Ecclesia quaeritare liceat, sed pauperum curatores, qui vulgo apud nos dicuntur = Buon-uomini = ad templi fores erogata pro pauperibus subsidia accipiant; ne plures simul celebrentur Missae, sed hae in statas horas ad maiorem populi commoditatem distribuantur; ne Missae Parochialis, aut sacrae concionis tempore aliud celebretur in templo Sacrum; ut demum celebrandi horam subiectis sibi Sacerdotibus praescribat Parochus.

XXVIII. De omnibus suae Dioeceseos Ecclesiarum Reliquiis cognoscendum esset accurate Episcopis; atque illae tollendae, de quarum veritate aliqua suspicio est, ac ne in Sacris quidem Monialium, vel Regularium aedibus eas exponendi concedenda unquam facultas. Tabulae etiam, atque effigies sedulo inspiciendae, atque ex his quae duplicia sunt, et quae minus decent, removenda e conspectu; praecipiendumque est, ut omnium oculis pateant semper caetera, qui-

bus

bus hactenus impenetrabili aliquo adyto, aut velamento maiorem venerationem, cultumque conciliari falso creditum est. In principe etiam templi ara, in qua sanctissimum servatur Christi Corpus, ablata quavis tabula Sanctorum imagines referente, Crux tantum esset relinquenda.

Illud etiam videtur decere maxime, ut dignae maiori veneratione Reliquiae sub ipsorum altarium mensa conditae asserventur, omnesque tum imagines, tum Reliquiae, quarum custodia penes magistratum est, tradantur Episcopis.

XXIX. De piacularibus mortuorum sacris, ac de Sanctorum communionis effectibus melius erudiendus esset populus, atque ad utiliores, et magis rationi consonas pietatis exercitationes adducendus. Inquirendum igitur, an expediat, in qualibet Parochiali, ac Regularium Ecclesia propriam Missam, atque Officium pro omnibus vita functis Fidelibus singulis mensibus solemniter celebrare, atque omnia pro aliquibus tantum defunctis funera, aut Anniversaria prohibere, concessa tamen cuivis venia, ut, quotquot vult, privatas Missas celebrandas curet.

XXX. Suas etiam ulterius Magno Duce Nostro provehente curas, ut tum conferendis in Ecclesiasticum Patrimonium proventibus, tum a suis Patronis provideatur commode Parochis, Regiae voluntati in re tam gravi obsequentes Episcopi, quantum in ipsis est, deberent omni studio contendere, ut in singulis Paroeciis sufficiens adsit populo inserviendi gratiâ Coadiutorum, sive Capellanorum numerus, quibus victui necessaria ita suppetant, ut neque ad populum confugere, neque levia quaedam festa, atque alia Religionis officia inducere, aut iam inducta persequi ac fovere, vel sui imminuere aliter co-

gantur officii dignitatem. Aequissima etiam aptissimaque, pro templorum, sive uti nunc exstant, sive uti comparatis, vel comparandis pecuniis amplificari possunt, magnitudine, instituenda esset per singulas Paroecias populi distributio.

XXXI. Si persuasum habeant Episcopi divino dicata cultui bona ad eos praecipue pertinere, quorum officium est vera Religionis praecepta populo tradere, atque administrare Sacramenta, in sua Dioecesi facile invenient, quomodo Parochorum necessitati occurrant, eosque habeant suis gravissimis exequendis muneribus quammaxime idoneos.

XXXII. Praeter morum integritatem, sanamque doctrinam postulatur a Parocho, ut summa prudentia sit praeditus, hominum mores atque ingenia usu apprime edoctus, lucri minime cupidus, sincera erga omnes caritate flagrans. Ut vero sese utilem praebere possit, omnium existimationem, benevolentiamque sibi conciliet, necesse est; nullis se negotiis secularibus implicet; praecipuum in neminem studium prae se ferat; coetus omnes, familiaresque consuetudines Parochianorum praesertim vitet, suisque per accuratam et assiduam in eorum mores inquisitionem cognoscendis ovibus intendat animum. Licet vero in domesticas cuiusvis familiae res, quantum fieri potest, ultro se inferre minime debeat, rogatus tamen ad exortas componendas controversias quovis tempore promptus accedat.

XXXIII. Optimus quidem Parochus plurima antevertit vitia, crimina, atque incommoda, quibus nisi mature occurratur, graviora ex iis, ac nullo curanda remedio mala proficiscuntur. Ab omni negotiatione, ac lucri cupiditate alienus de sui institutione populi unice debet esse sollicitus, et numquam festis praesertim diebus ab eo discedere ad

alias

alias solemnitates, ad Villas, aut alio profecturus. Illud in primis illi cordi esse debet, ut populum, ac praecipue adolescentes, puerosque rectae saniorisque ethices praeceptis imbuat; in pristinam concordiam familias propinquosque reducat; iniurias ac dissidia suis praevertat monitis; a superstitiosis religionibus, si quibus forte imbutus fuerit, populum revocans, quae vera sit Deum colendi ratio, demonstret; nullum, nisi satis instructum optimeque comparatum ad Sacramenta suscipienda admittat; nuptias non benedicat, nisi iungendi connubio Religionis, et novi, quem amplectuntur, status officia bene noverint; aegrotis demum, et morti proximis adsit ingenti charitate et diligentia.

XXXIV. Illi etiam conventus statutis temporibus habendi sunt Parochis, in quibus propositae de moribus solvantur quaestiones; iisque interesse deberent non solum Parochi, Coadiutores, ac simplices Sacerdotes illius Ecclesiae, in qua habentur, sed omnes etiam aliarum totius regionis, quam Plebatum vocant, Ecclesiarum Sacerdotes. Ipsarum vero quaestionum solutiones, quo iussum fuerit tempore, ad Episcopos transmittendae forent, et quotannis, ubi probatae fuerint, typis mandandae.

XXXV. Instauranda quoque lex foret vetans Parochis, praesertim ruralibus, ne diebus festis integre vi praecepti servandis a sua Ecclesia recedant, nulla admissa ac probata excusatione, aut praetextu ad alias migrandi Ecclesias, ut vel festis solemnibus, vel statis quibusdam conventibus, vel funeribus, aut Officiis intersint.

XXXVI. Cum ea sit Magni Ducis mens, ut Parochialibus Ecclesiis omnia, quae per Abbatias, Canonicatus, aut Beneficia in iisdem Ecclesiis constituta ablata fuerant, bona restituantur, gratum illi

se facturos pro certo habeant Episcopi, si eidem in hoc, quantum in ipsis est, gerentes morem Canonicatus, et quae ipsi conferunt, beneficia aut penitus substulerint, vel ad commodiorem Parochis praebendum victum, meliusque Paroeciarum ministerio consulendum iisdem utantur. Ubi vero satis erit provisum Parochis, vetandum omnino esset, ne decimas, neve alia officii iure sibi hactenus debita, vel forte obvenientia emolumenta percipiant, quibus rebus ut plurimum graves et invisi fiunt, ac multum de eorum ministerii dignitate, atque excellentia detrahitur.

XXXVII. Optandum foret, ut templorum, sacrarumque functionum decor Episcopis maxime cordi esset, atque inanis illa eximeretur pompa, qua nec sanctiores illae fiunt, nec populi pietas augetur. In omnibus ergo ruralibus Templis una tantum relinquenda esset ara, in qua sola Christi Dei Cruci affixi effigies, vel ad summum Divi illius, cuius nomine templum inscribitur, aut forsan SS. Virginis Mariae imago sit; modo levis illa, ac nihil, nisi superstitionem redolens, omnes huiusmodi sive pictas sive sculptas imagines velandi consuetudo tollatur.

Omnes etiam a templis removendae forent votivae tabulae, atque alia similia accepti alicuius beneficii, aut patrati miraculi monumenta; tum vero maxime signa atque imagines, quibus turpitudo aliqua inesse videatur.

Studio item in templorum decus, ac religionem incensi mandata illa curare deberent Episcopi diligenter servanda, quae sacrae concionis, aut Sacramenti expositionum, aut alterius rei causa stipem quaerere in templis omnino vetant, exceptis pauperibus, pro quibus ad templi fores oblata ultro a Fidelibus subsidia accipere licebit.

Cum vero Christi Corpus publice proponitur

ad

adorandum, aut pium peragitur quadraginta horarum opus, vel annuus Sancti Sepulcri ritus celebratur, praecipiendum esset, ut nec plures, quam viginti quatuor, nec pauciores, quam sexdecim, haud plures vero, quam duodecim in aliis festis cereae faces ardeant, sumptuosa quavis semper sublata aulaeorum pompa, musica, carminum dispensatione, ignitorumque tormentorum strepitu, aliisque huius generis rebus.

XXXVIII. Decernenda quoque essent ab Episcopis festa, veluti Sacramenti expositiones, precesque novendiales, quas *Novenas* dicunt, unice in qualibet Ecclesia celebrandae. Quoties vero Sacramenti expositio fit, antequam eodem benedicatur populo, brevis ad eum de aliqua re morali esset habenda concio. Cavendum tamen, ne quod festum, aut novendiale sacrum Parochiales functiones, Catechesim, Evangelii explicationem diebus festis ex toto vi praecepti servandis impediat.

Id ne contingat, extraordinaria huiusmodi festa, ac novendialia sacra veteri Ecclesiae usu minime probata, praesertim vero in alicuius Sancti honorem recens instituta, quantum fieri potest, minuenda essent; eorum namque causa a sanctioribus pietatis operibus graviorique cultu, quem nostra religio postulat, avocatur populus.

Qui cultus ut sancte religioseque servetur, recognoscendae ab Episcopis essent, quae publicae venerationi exponuntur, Sanctorum Reliquiae, sublatis iis, de quarum veritate non satis constat.

Exceptis vero supplicationibus, quae in festo Corporis Christi, atque in Rogationibus extra templum; intra vero templum in Dominica Palmarum, ad Sacrum Christi Sepulcrum, atque in festo Purificationis ex veteri piaque consuetudine fiunt,

caeterae omnes abrogari posse videntur; atque illae procul dubio sunt abrogandae, quae ad aliquam Virginis Mariae, aut alicuius Sancti imaginem epulas, nec satis honestos conventus celebrandi causa haberi plerumque solent.

XXXIX. Sacra in singulis Parochialibus templis peragenda, utpote adducendo ad veram rectamque pietatem populo magis idonea maiori etiam studio procuranda sunt.

Restituendus quoque, et ad maiorem religionem revocandus nimis hactenus neglectus dierum festorum cultus. Statuendum ergo, ut festis diebus in qualibet tum urbana, tum rurali Ecclesia opportuno tempore Parochus notandas inferius functiones celebret, quas ad maiorem populi commoditatem, alio tamen tempore Coadiutor, si adsit, instauret.

XL. Nullus in Parochialibus Ecclesiis Confessiones audire poterit, sine Episcopi, atque ipsius etiam Parochi venia; cui de iis etiam reddenda ratio est, qui in eius populum huiusmodi exercent potestatem.

XLI. Antequam vero rem divinam conficiendam aggrediatur, brevem ad populum de Missae Sacrificio sermonem Parochus, aut Coadiutor habebit, ac plane ostendet, quomodo se una cum Sacerdote ad Ecclesiae mentem conformantes Missam audire, eique utilititer adesse possint, docens simul, infinitam esse eiusdem sacrificii vim, et innumerabilia ex eo in Ecclesiam, in viventes, ac vita functos fideles proficisci bona. In praecipuis vero anni solemnitatibus operae pretium erit mysteria etiam, quae ab Ecclesia in iisdem celebrantur, breviter explicare.

XLII. Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis actus, aliasque preces ab Episcopo publicae alicuius ne-

necessitatis causa imperatas patrio sermone recitabit.

XLIII. Inchoabitur deinde Missa, quam graviter, et elata distinctaque voce celebrari oporteret. Videant Episcopi, an expediat, ut omnes e populo latinae linguae minime ignari, et quidquid Sacerdos pronunciat, facile intelligentes, ipsi etiam elata voce respondeant.

XLIV. Evangelio praelecto, Parochus, vel Coadiutor ad populum versus Evangelium ipsum prius italice redditum fusius exponet, eaque inde morum praecepta hauriet, quae populi institutioni, atque utilitati magis conferre possint. In huiusmodi vero concionibus brevitati consulat, studeatque, ut omnium captui accommodatae sint, eosque recta vivendi ratione instruant, neque umquam in mysticis eruendis sententiis, aut dogmaticis quaestionibus agitandis nequicquam laboret.

XLV. Deinde rem divinam persequens, ubi ipse Sanctissimum sumpserit Christi Corpus, accedentibus quibusque illud distribuet.

XLVI. Confecto sacro aliquas patrio sermone una cum populo adhibebit Deo preces pro vivis ac vitâ functis fidelibus, pro infirmis, pro populi, agrorumque necessitatibus; atque hymno *Te Deum laudamus* rei sacrae finem imponet. Eadem in celebranda Missa Coadiutor faciet.

XLVII. Post prandium Catechesis habebitur, nisi mane post ultimam Parochialem Missam, et post peractam in Ecclesia Sacramentorum dispensationem habita fuerit.

XLVIII. Idoneo autem, et, si fieri possit, a templo scorsum loco religionis rudimenta edoceantur pueri per Coadiutorem, si adsit, dum aetate provectiores Parochus in templo instruit; aut contra.

XLIX.

XLIX. Quae provectiorum institutio saltem ad horae dimidium producatur, atque explicentur in ea praecipua religionis officia, et quae ad salutem consequendam necessaria sunt, Dei nimirum, atque Ecclesiae praecepta, Apostolorum Symbolum, eiusque Articuli, precatio Dominica, Sacramentornm vis, et qua animi affectione debeant ad ea fideles accedere. Addi etiam posset italica alicuius sacrarum literarum capitis lectio, ac brevis eiusdem, ubi necesse fuerit, interpretatio. Succedent Vespertinae preces, atque his impertienda populo Sacramenti benedictio, vel pium, ut aiunt, Bonae Mortis exercitium, prout rerum ac temporum circumstantiae postulabunt.

L. Atque haec religionis officia si in qualibet Parochiali Ecclesia diebus festis rite colantur, maior inde oritur causa, qua Episcopi levia quaedam festa, Reliquiarum expositiones, atque huius generis alia numquam permittant.

Conciones etiam Adventus, et Quadragesimae tempore tolli possent, praeterquam in uno, aut duobus principibus urbis templis, modo tamen catecheseos instar habeantur. Interdicendae autem prorsus essent de Sanctorum laudibus orationes, in quibus dicentis facultas eminet sine ulla plerumque eorum, qui audiunt, utilitate.

LI. Vetandum quidem esse videtur, diebus Dominicis ulla in Sanctorum honorem celebrari festa, exceptis eorum commemorationibus, quas in divinis officiis fieri permittit Ecclesia.

LII. Oporteret etiam, ut Parochi essent quammaxime de puerorum institutione ac disciplina sollíciti, nullamque, quantum in ipsis est, eos erudiendi praetermitterent occasionem.

LIII. Vera insuper Religione populum instruant, ne-

necesse est; ab inutilibus, ac superstitiosis religionibus avertant, doceantque, quae sit Indulgentiarum virtus, et quomodo quis ad eas comparandas, promerendasque affectus animo esse debeat; quae sit vita functos iuvandi ratio, non in sacrificiis tantum, sed in quibuslibet pietatis operibus posita; quid de Missarum applicatione, de communione Sanctorum, ac de aliis huiusmodi rebus sentiendum sit: quas res populus aut penitus ignorat, aut plurimis involutas, ac depravatas erroribus accepit.

LIV. Ut vero etiam minus eruditi doctrinis Parochi suo recte perfungi officio valeant, eos in patrium sermonem transferre, aut novos edere, ac suppeditare gratis praestaret libros, quos veluti duces, ac doctores sequantur. Hi vero ex aliis compluribus proponi posse videntur.

Brevis, intellectu facilis, ac lucido digestus ordine ad puerorum institutionem catechismus, qualis videtur esse ab Episcopo Colberto breviter concinnatus, aut alter Liburni editus.

Fusior alter pro aetate provectioribus Catechismus. Ille autem videtur aptior, qui incribitur: *instruzione generale sulle verità Cristiane;* ac Genuensis vulgo dicitur.

Sacrae Scripturae exemplar vel a Martinio Archiepiscopo Florentino italice expositae, vel italica eiusdem Scripturae versio a clarissimo Sacy gallice redditae, ac doctis interpretationibus, piissimisque animadversionibus auctae.

Christianus Turnesii Annus

Suessionensis Episcopi Conciones, et Catecheses in omnes Dominicos, ac festos anni dies.

Bossueti de Sacrificio Missae, vel laudati superius Turnesii, aut Martinii de optimo Missae audiendae modo Tractatus.

Ri-

Ritualis Alectensis Ecclesiae Liber una cum aliquo opusculo edocente Parochos, qua ratione infirmis, ac morientibus adesse debeant.

Spiritualia Ioannis Dominici Cochinii de piis charitatis conventibus opera.

Morales Quesnellii in novum Testamentum animadversiones.

Mezenguy Christianae doctrinae expositio.

Opus Epistolas, atque Evangelia continens eodem, quo per annua festa habentur, distributa ordine, et in nostram linguam translata una cum brevibus moralibusque eorumdem commentariis facile cuiquam intelligendis, ad capita et principia quaedam redactis, ac per paulo longius horae dimidio tempus populo exponendis.

Sermonum collectio de praecipuis Christianae Religionis dogmatibus, in Apostolorum Symbolum, de Precatione Dominica, de Sacramentis, de praeceptis Divinis, atque Ecclesiasticis, de praecipuis Fidei nostrae Mysteriis, de ritibus, quos in diversis anni solemnitatibus celebrandis Ecclesia adhibet; qui sermones sint captui omnium accommodati.

Liber de praecipuis hominum erga alios homines, coniugum, atque eius, quod quisque sequitur, vitae generis officiis, tum de filiorum institutione.

Alius item liber, qui doceat, quae potior sit laborantes morbo, aut morientes iuvandi consolandique ratio.

Opus praeterea prima complectens eorumdem Parochorum officia, eosque ad hoc munus gravissimum probe exercendum dirigens.

Saniorem de rebus divinis doctrinam tradentes libri ad confessiones audiendas, solvendasque de moribus quaestiones Parochis necessarii.

De

De recta pietate et religione Muratorii opus.

Moralis Theologia Petri Tamburini publici in Ticinensi Athenaeo Professoris.

Ecclesiastica Rasinii historia.

Ritualis liber Tolonensis.

Lamberti Sermones.

Liber de Christiani hominis officiis inscriptus, ac Romae editus.

Fleury in Ecclesiasticam historiam Sermones.

Qui omnes libri si ab Episcopis probentur, aut alii huiusce generis proponantur, ubi, qui opus fuerint, in patriam linguam translati, ac typis iterum mandati fuerint, REGIA CELSITUDO praecipiet, ut gratuito praebeantur Parochis, qui tamen eos veluti Synodalem, ut aiunt, rem accurate servabunt, suisque relinquent, ac tradent successoribus.

LV. Sacrae Monialium aedes in Parochiales, Ecclesias, quoad fieri poterit, non erigantur. In iis autem, quae Parochiales non fuerint, unum tantum Altare sit. Omnes parietum ornatus, ac musicae prohibeantur; nulla, nisi probante Episcopo, ac sine pompa, in Sanctorum honorem celebrentur festa. Omnibus diebus festis vi praecepti ex toto servandis ad ipsas Moniales; vel ab eo, qui eisdem a Sacris Confessionibus est, vel a Capellano clausis templi foribus, sacrae habeantur conciones; quae tamen in Evangelii explanatione, in catechesibus, aliisque moralibus institutionibus unice versentur, iisque sublatis, quae Adventus, et Quadragesimae tempore haberi consueverant, ter, aut quater singulis annis ad spirituales exercitationes revocentur, in quibus piis meditationibus, aliisque sermonibus vacent.

LVI. Quo tempore Parochiales functiones fient, ne ab iisdem avocetur populus, Regulares nullum sacrum

of-

officium peragere possint. Laudationes etiam Sanctorum, omnesque aliae conciones ipsis omnino vetandae.

Una tantum princeps ara in eorum templis existat. Sanctorum sui Instituti festa celebrare iisdem licebit, modo tamen sine musica, atque immodico apparatu, et numquam sacris diebus integre vi praecepti servandis.

Sacrae etiam Hebdomadae functiones alia hora ab iis erunt celebrandae, quam qua in Parochialibus Ecclesiis celebrantur. Quin etiam illud videtur decere maxime, ut Feria V., quae dicitur in Coena Domini, ipsimet Regulares obsequii ergo illius Paroeciae templum adeant, in cuius finibus eorum Coenobium situm est. Decerni etiam ab Episcopis posset, ut Regulares, nisi Parochi munus exerceant, quoties extra suam Ecclesiam concionatum vocentur, conciones ipsas Episcopo, aut alteri, cui Episcopus eius rei curam mandaverit, facultatis obtinendae gratia exhibere cogantur.

Expendendum est quoque, an praecipi oporteat, ne Regulares concionentur, neque Confessiones audiant in saecularium Parochorum templis, nisi praeter impetratam ab Episcopo huiusmodi rerum facultatem, eam ab ipsis quoque Parochis obtinuerint.

LVII. Ea Regularium Coenobia praefiniant Episcopi, quae publicae Dioeceseos utilitati esse censuerint; tum quot Sacerdotes, quot Professores in quolibet Coenobio esse debeant, caeterorumque Regularium numerum, qui necessarii videbuntur.

Lex de non recipiendis in Etruriae Monasteria Regularibus alienigenis, ac domicilii iure non gaudentibus religiose servetur.

Episcoporum etiam animadversione dignum est,

an

an magis expediat, ut Regulares suis universo Ordini, aut alicui provinciae Praefectis pareant; ita enim ex hoc in aliud Coenobium, prout necessitas postulabit, facilius transferri, et cuiusque loci Praesidibus esse possunt magis obsequentes, ac morigeri; an Regularium coetus adeo sint seiungendi, ut totidem societates existant nullo communionis vinculo inter se colligatae. Quod si fieri praestet, rursus expendendum erit, qua ratione consuli possit novorum candidatorum tirocinio, ac studiis in quovis Coenobio non tam facile instituendis. In eo autem, quod ad ordinationes, ac studia pertinet, Regulares iuxta, ac Saeculares Sacerdotes Episcoporum auctoritati voluntatique se se omnino subiiciant. Animarum curam, nisi in Paroeciis Monasterio addictis, exercere iisdem non liceat. Cum vero ad hoc munus Parochi, vel Capellani titulo obeundum accersuntur ab Episcopis, Monachi prius habitum ponant.

Expediret etiam, ut Regularibus, quantum fieri poterit, Monialium confessiones audiendi curam Episcopi numquam committerent. Numquam etiam eisdem facienda esset concionandi, aut Poenitentiae Sacramentum administandi potestas, praeterquam in suis aut in Parochiali aliqua Ecclesia, Parocho operam praestandi causa, impetrata tamen prius non solum ab Episcopo, sed etiam ab ipso Parocho eius rei venia.

Oporteret etiam, ut Episcopi, aut ipsi per se, aut per suos delegatos omnia suae Dioeceseos Monasteria quotannis perlustrarent, nec solum Regularis disciplinae, sed studiorum etiam, quae ibidem coluntur, rationem exposcerent.

Praeter festa, quae ubique terrarum ab Ecclesia celebrantur, et alia ad Auctores, caeterosque Or-

Ordinis sui percelebres sanctitate viros colendos instituta (a quibus tamen nimia quaelibet pompa, et panegyrica oratio semper absit) praeter novendiales ritus ac preces, quae in praecipuis Ecclesiae solemnitatibus adhiberi solent, quodvis aliud festum videtur Regularibus interdicendum.

Ad severiorem quoque disciplinam ii revocandi forent, ita ut numquam solis egredi e Monasterio liceat, nec extra ipsum in privatorum domibus rusticationis, aut alterius rei causa pernoctare. Quod si facere aliquando velint, neque id, ut infirmis adsint, neque itineris, aut alterius necessitatis causa, facultatis a suo Praeside impetratae chirographum habeant, in quo certum tempus locusque designetur.

Nullus erit in Etruria locus dispensationibus, ac privilegiis ad immunitates, dignitates, aut titulos in suo Ordine assequendos ab urbe Roma impetratis. Roganti Parocho inservire, atque auxilium ferre debent; in Parochialibus Ecclesiae functionibus, cum opus fuerit, ministrare; infirmis adesse; Confessiones audire; atque in his omnibus peragendis illi Parocho morem gerent, cuius Paroeciae finibus ipsorum Monasterium continetur.

SES-

SESSIO III.

HABITA XII. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

Venit Episcopus ad Synodum mane hora octava, ut in Sessione antecedenti, et genu flexo ad faldistorium una cum ceteris Patribus Sacro adfuit, quod a D. Dominico Prati Priori S. Michaelis a Serravalle celebratum est. Inde inchoata cantu, sicuti in prima Sessione, Antiphona *Exaudi nos*, et recitato psalmo 68. *Salvum me fac* ec. decantatum est Evangelium S. Matthaei quod legitur in Missa pro celebratione Synodi. Post *Veni Creator Spiritus*, Episcopus sequentem protulit orationem:

OREMUS.

Deus qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt praecipis iudicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente: ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum. Qui tecum vivit ec. Et initium Sessionis hoc ordine factum est.

D. Can. Talini excusationibus excipiendis praefectus, cum ex una parte vices gereret unius ex Secretariis Synodi, et ex altera rationem redderet muneris sui, his verbis Praesidem est allocutus.

„ Si tibi placet, Reverendissime Pater, D. Io-

 „ seph

„ ſeph Marchionni Prior S. Iacobi a Querceto,
„ Dioeceſis Florentinae, Theologorum huius San-
„ ctae Synodi numero adiungetur. In Congregationi-
„ bus intermediis, cum deſit D. Doctor Thomas
„ Giuſti Parochus S. Salvatoris, eligetur D. Aloy-
„ ſius Parenti Plebanus Marlianae, et in locum
„ Cuſtodis Actorum Synodalium, qui morbo praepe-
„ ditus eſt, D. Angelus Paoletti ſufficietur. Poſtula-
„ runt autem, ut ad Synodum admitterentur, Reve-
„ rendi Sacerdotes,

„ Aloyſius Franchini
„ Antonius Filippi
„ Doctor Petrus Caſſeri
„ Vincentius Ducci
„ Ioannes Chiavacci
„ Io. Baptiſta Lucarelli.

„ Referam inſuper neceſſe eſt, D. Laurentium
„ Donnini Parochum Vitolini vices ſuas commiſiſ-
„ ſe D. Ioſepho Roſati Parocho Colligonzi, D.
„ Aloyſium Bicci Plebanum S. Anſani pro ſe de-
„ putaſſe Sacerdotem Dominicum Billeri Dioeceſis
„ Florentinae, et D. Antonium Leoni Parochum S.
„ Mariae Novae morbo correptum ſibi ſurrogaſſe
„ D. Io. Dominicum Gori Capellanum Curatum
„ Eccleſiae Cathedralis. Quid ergo, Reverendiſſi-
„ me Pater, de his omnibus determinandum exi-
„ ſtimas? „

Epiſcopus reſpondit:

„ Si placet, Venerabiles Fratres, in Theolo-
„ gorum numerum alius etiam ille recipiatur; tum
„ qui Congregationi intermediae, et Actorum Cuſto-
„ di ſubſtituti ſunt; poſtremo nominati Sacerdotes
„ et Deputati admittantur. „

Patres unanimiter reſponderunt *placet*; tum Praeſes ſubiecit.

„ Ve-

» Venerabiles Cooperatores, et Consacerdotes,
» huius S. Synodi Promotor publicum faciet, quod
» in Synodalibus Congregationibus constitutum fuit
» in rebus pertinentibus ad Fidem, Ecclesiam, Gra-
„ tiam, Praedestinationem, et Theologiae Moralis
„ fundamenta, Spiritus scientiae, discretionis, et uni-
» tatis vobiscum sit; et vos in iudiciis vestris di-
„ rigat. „

His dictis tradidit Promotor uni ex Secretariis formulas Decretorum, quae in Congregationibus intermediis exarata fuerant, ipse vero pulpitum ascendens voce intelligibili et clara, interposita etiam ad singulos paragraphos aut articulos quiete, eadem decreta legit, per haec verba ducens exordium;

» Venerandi Praeses, Patres, et Consacerdo-
» tes, en quid fuerit constitutum circa Fidem, Ec-
» clesiam, Gratiam, Praedestinationem, et morum
» fundamenta, iuxta ea quae proposita fuerunt in
» secunda Sessione, et expensa in Congregationi-
„ bus heri celebratis die 19. Septembris. „

Lecta deinde fuerunt duo Decreta, sub quorum finem cum Secretarius dixisset:

» Placetne vobis, Venerandi Praeses, Patres,
» et Consacerdotes, Decreta, quae legimus, ap-
» probare? » Universa Synodus unanimiter respondit: *placet*.

Responso audito, et supradictis Decretis Notario traditis, qui primus a secretis erat, elata voce protulit quae sequuntur:

» Ut approbatio decretorum, quae lecta fuerunt,
» voce hactenus prodita confirmetur, ipsis Patres
» Venerandi; si placuerit, propria manu subscri-
» bent. Actus iste aeque liber erit ac caeteri; sed
» ut omnis vana difficultas evitetur, qui subscribe-

» re recusabunt, suas ipsi rationes scripto expo-
» nent, easque Promotori Synodi tradent ante pro-
» ximam Sessionem. „

Tunc ad subscriptionem ventum est, incipiente Praeside, Assistentibus, et Testibus Synodi.

Ut autem actus iste, qui nimium protrahi poterat, brevius expediretur, et maiori inserviretur subscribentium libertati, tres aderant in Synodo tabulae, et super ipsas schedulae n. 18. cum hac inscriptione:

» Nos infrascripti in hac S. Synodo iudices li-
» bere, plene, et unanimiter consentimus Decretis
» de Fide, et Ecclesia, de Gratia Christi et Prae-
» destinatione, et de fundamentis morum; quae
» Decreta in Congregationibus intermediis die 19.
» Septembris expensa atque discussa, in Sessione ha-
» bita die 20. eiusdem Mensis promulgata fuerunt in
» Ecclesia Academiae Ecclesiasticae S. Leopoldi.

In hisce schedulis propriam confirmationem Patres apposuerunt, et nullo caerimoniali ordine observato, qui non subscribentes aliquo modo praegravasset, a propriis locis singuli exibant liberrime, et revertebantur, et de approbatis rebus invicem colloquebantur, dubitationes, quae ipsis subortae erant, vicissim dilucidantes, et de ipsis Promotorem, qui circum aderant, interrogantes. Porro ab iis, qui erant a secretis, admoniti fuerunt, qui non subscripserant, ut proprias difficultates scripto exponerent, ne ipsorum repulsa vana et arbitraria videretur.

Post haec Notarius omnes has schedulas simul componens, et duobus Decretis adiungens, coniunctim serica vitta traiecit, iisque Episcopi sigillum apposuit, quod a Synodi Testibus recognitum fuit, et postea quam singulas schedulas et actum confir-

firmasset, omnia Custodi Actorum synodalium tradidit.

Hisce confectis, ita Episcopus Synodum allocutus est:

» Venerabiles Cooperatores, et Consacerdotes, » huius S. Synodi Promotor iuxta denunciationem » in huius Sessionis indictione praemissam in nomi» ne Domini res exponet, circa quas discussiones » nostrae, nostraeque definitiones versabuntur. Spi» ritus sapientiae, pacis, unitatis, et charitatis » christianae vobiscum sit. „

Hinc Promotor exposuit ea doctrinae capita, quae ad Sacramenta in genere, ad Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam spectabant, proponens, quae sequuntur:

» Examinandum proponitur Venerandis Patri» bus, quibusnam de causis ad ipsam Religionis » naturam pertineat externa habere signa, seu Sa» cramenta.

» Utrum haec Sacramenta in lege naturae ades» sent, et in lege scripta. Quaenam eorum effica» cia esset, et in quo a Sacramentis legis gratiae » distinguerentur.

» Disserendum proponitur de ipsorum Sacra» mentorum novi foederis numero, de ipsorum sub» stantia et natura, effectibus, necessitate, et » Ministro.

» Tandem de Ministri muneribus, et Sacra» mentorum caerimoniis.

» Quod ad Baptismum spectat, agendum pro» ponitur de ipsius necessitate, natura, et effectibus; » indicatis etiam insuper dispositionibus, quae ad » ipsum digne suscipiendum in adultis requiruntur, „ et modis, per quos iuxta Ecclesiae doctrinam Sa» cramentalis ritus defectui possit suppleri.

» Ex huius Sacramenti necessitate, et dignitate
» te deducentur, et exponentur regulae generales ad
» illud tam licite, quam valide administrandum.

» Tandem illud stabilietur, quod convenientius
» tius videbitur circa Patrinos, impositionem nomi-
» nis; et purificationem post partum.

» Quod pertinet ad Confirmationem venerandis
» Patribus disserendum proponitur de huius Sacramenti
» convenientia, institutione, et substantia; tum vero
» definiendum, in quo ipsum consistat, quis eius
» Minister sit, cui, et qua aetate conferendum.

» Disserendum de obligatione, qua Christiani
» tenentur, Confirmationem recipiendi, et de dispo-
» sitionibus ad illam utiliter suscipiendam necessa-
» riis.

» Denique quod ad Eucharistiam pertinet,
» aget S. Synodus de ritu Consecrationis, de Iesu
» Christi in hoc Sacramento praesentia, et de cul-
» tu, qui eidem est exhibendus.

» Exponet deinde quomodo Eucharistia verum
» Sacrificium sit, et ipsius naturam, atque characteres
» explicabit.

» De ritu Sacrificii exteriori loquetur, de Li-
» turgia, de Templis et Altaribus.

» Inde transitum faciet ad sermonem instituen-
» dum de praecepto, quod Christianos adstringit, ut
» huic actioni se se coniungant, et de huius unionis
» characteribus, et praecipue de Communione Li-
» turgica, et digne communicandi modum indi-
„ cabit.

» Disseret ultimo loco de fine, quo Sacrifici-
„ um offerendum est, nempe cui offeratur, et pro
„ quo offerendum sit, et hoc loco sermonem ha-
„ bebit de Missae applicatione, et tandem de Mis-
„ sae stipendio.

Con-

Confecta sunt omnia ut in secunda Sessione; quare primus eorum qui a secretis erat, iuxta Praesidis praescripta quartam Sessionem indixit sub hac formula, quae solitis locis affixa fuit.

„ Illustrissimus, et Reverendissimus noster in
„ Christo Pater Scipio de Ricciis Pistoriensis et Pra-
„ tensis Episcopus huius S. Synodi Dioecesanae
„ Praeses pro futura Sessione horam octavam matu-
„ tinam assignat proximae diei Veneris 22. Septemb.
„ Vos omnes hortamur, ut interveniatis, non solum
„ ut proposita doctrinae capita in hac Sessione
„ definiantur, sed etiam ut de iis agatur, quae per-
„ tinent ad Poenitentiam, ad Extremam Unctionem,
„ Ordinem, et Matrimonium.

Finis Sessioni factus est de more, cum eidem interfuissent

Parochi		„	173
Capellani Curati		„	14
Canonici		„	14
Sacerdotes	Seculares	„	28
	Regulares	„	13
Omnes num.		„	242

Digitized by Google

DECRETUM

DE FIDE ET ECCLESIA.

§. I.

Cum fides excellens illa virtus sit, a qua admirabilis series ac veluti catena gratiarum incipit, quae ad Deum nos dirigunt, cumque sit prima vox, quae ad salutem nos vocat et ad Ecclesiam, aequum est, ut super illam tamquam primum fundamentum sacri huius Conventus doctrina et decreta stabiliantur. Nos igitur in Spiritu Sancto congregati, secuti exempla Synodorum oecumenicarum et particularium, quae nos praecesserunt, ab hac virtute Sessionis huius exordium ducemus.

II. Primum itaque confitemur, Deum esse aeternum, omnipotentem, immensum, qui in essentia sua simplicissimus et unicus in tribus Personis distinguitur, quae Sanctissimam constituunt Trinitatem, atque ut magis castigate loquamur, secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles appellantur Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus. In hisce tribus divinis Personis veram distinctionem confitemur, et ideo Patrem existentem credimus ab aeterno sine principio, Verbum a Patre genitum aeterna filiatione, eique Patri consubstantialem, et Spiritum Sanctum aeque a Patre et Filio procedentem aeterna processione. Hinc non minus antiquos haereticos detestamur, qui Personas confuderunt, aut Verbum inferius Patre commenti sunt, quam recen-

tio-

tiores Novatores, qui licet Verbum confiterentur ab aeterno Deum, Filium tamen Dei non nisi in tempore factum agnoverunt (1). In hoc divino Filio, et per hunc creavit Pater omnia spiritualia simul et corporalia, et ex hac divina Sapientia constitutus est admirabilis ordo providentiae, quae res creatas regit et moderatur.

III. Hic idem Filius misertus hominis in abyssum ignorantiae, et impotentiae propter peccatum originale prolapsi, in uterum Virginis, quin Patris dexteram relinqueret, descendit, et operante Spiritu Sancto humanam nostram naturam, nostrasque infirmitates assumpsit, excepta culpa, et nostrae naturae reparator factus est, imbecillem se esse eligens, ut nos efficeret fortes, et morti se se subiiciens, ut nobis vitam restitueret. Verum assumpta licet humana natura, non multiplex in ipso persona facta est, sed unica semper permansit, quamvis perfectus homo fuerit, et perfectus Deus. In hoc Homine-Deo Iesu Christo reposita est omnis spes nostra, et ad hunc Hominem-Deum non minus quam ad Sanctissimam Trinitatem dirigendae sunt precationes nostrae, non divisim cultu superstitioso et erroneo aut humanam aut divinam naturam deprecantes, sed totam simul divinam Christi personam unica adoratione venerantes. Adoratio quippe directa humanitatis Iesu Christi, multoque magis alicuius partis ipsius, semper est honor divinus exhibitus creaturae; adorare

(1) Hanc impietatem docuit P. Harduinus in caput 1. Ioan. v. 1. pag. 248., et 249. Berruyerius etiam se dignum ipsius discipulum ostendit pluribus in locis, praesertim vero vers. 8. cap. 14. ep. ad Rom. Legatur *Instructio pastoralis Episcopi Suessionensis* tom. 1. cap. 3. art. 1. et seq.

rare autem solam divinam Iesu Christi naturam idem esset ac Christum separare et dividere. (1)

IV. Verum non solum Christus in mundum venit, ut esset Redemptor noster, fundens pro hominibus sanguinem suum, et moriens, sed etiam ut Sacerdotium institueret, et Religionem, per quam de fructu sanguinis, et mortis ipsius participes efficeremur. Sacerdotium hoc, isthaec Religio, de quibus per tres et amplius annos sategit Christus instruere Apostolos ac discipulos suos, quaeque dumtaxat post ipsius adscensum ad caelum complementum sortita sunt, et plenum exercitium, sustulerunt penitus, et destruxerunt antiquum Sacerdotium, et inanem Synagogae religionem. Noluit Christus, ut novum religionis foedus, non timoris foedus et coactionis, sed charitatis et suavitatis, corporibus dominaretur et feritate terreret, sed illud scripsit in cordibus, ut suavi amoris vi et suaderet mentes, et affectus inflammaret.

V. Super haec fundamenta constituit Christus Ecclesiam suam: et discessurus hinc, et iturus ad Patrem ipsi commisit, ut concreditum sibi fidei et morum doctrinae depositum integrum servaret, seque illi adfuturum promisit, ut obscuritatis, et tenebrarum tempore distinguere posset veram doctrinam divinitus acceptam a falsa atque fallaci, quae aliquando produceretur. En duo fundamenta, supra quae constituta religio Christi secura constitit inter continuos tum externorum inimicorum impetus tum etiam interiorum, qui

(1) Errorem hunc universae Traditioni, et expressis Conciliorum definitionibus contrarium docet Bertuyerius 2. part. tom. 8. pag. 86., et seq. Atque hanc ipsam blasphemiam veluti fundamentum habent novitatis suae, qui devotionem promovent cordis carnei Iesu Christi.

qui magis periculosi sunt, falsorum scilicet fratrum. Suam fidei ac morum doctrinam Ecclesia accepit a Christo. Christus Ecclesiam securam reddidit, hanc fidei et morum doctrinam nunquam defecturam.

VI. Non est hominum inventum Religio Christi, quae ut perficiatur, usu indigeat et experientia humana, in qua quidquid abundat aut deficit, id auferri aut adiici temporum decursu hominumque consilio necesse sit. Opus divinum hoc est a Deo ordinatum, et ab ipso fundationis principio plenissime perfectum. Quod ergo tunc credere oportuit, credendum subinde fuit temporum progressu, et usque in finem saeculorum credendum erit, semperque erit observandum, quod tunc praescriptum est. Disciplinares canones, quos Ecclesia tam frequenter proposuit observandos, numquam fuerunt articuli qui ipsam constituerent substantiam Religionis, sed veluti instrumenta pro temporum et locorum circumstantiis, opportuna atque etiam necessaria, quibus ea recte excoleretur. Ab hoc principio, veluti demonstratio, fluit certum hoc axioma: in doctrina fidei et morum illud solum esse verum quod prius traditum; illud autem falsum quod posterius immissum est. Numquam Ecclesia credet, quod ab initio non credidit, nec umquam desinet profiteri, quod ab initio docuit.

VII. Veniunt quidem saeculis decurrentibus tempora tenebrarum et obscuritatis, cum vera Ecclesiae doctrina ab erroribus, et invalescentibus novitatibus suffocata videri potest atque depressa, quoniam Pastoribus non vigilantibus aliqui aut illusi, aut maligni, aut aliqua ducti cupiditate zizania spargunt. Tunc quasi deficere videtur veritas, eiusdemque defensores oppressi, et deiecti: sed nimium firma est Christi promissio, numquam scilicet praevalituras inferi potestates, ut aliquam ex veritatibus fidei et

mo-

morum a Christo Ecclesiae velut in deposito traditis aut corrumpant, aut destruant. In hisce circumstantiis, ne fideles vagarentur incerti, aut caeci sequerentur errorem dominantem; reliquit eis iudicem vivum et loquentem, a quo possent lumen exposcere, ne fallantur.

VIII. Iudex iste Ecclesia ipsa est, quae repraesentata a Pastoribus Iesu Christi Vicariis, coniunctis Capiti Ministeriali, et communi unitatis centro Romano Pontifici, inter ipsos primo, ius accepit iudicandi, et determinandi fideles in exortis circa fidem ac mores controversiis. In huiusce iuris exercitio nunquam incidet in errorem, dummodo a certis iis regulis non recedat, quibus ipsa innitatur oportet, ut recte iudicet, nempe a verbo Dei scripto, vel tradito. Haec infallibilitas in iudicando, et proponendo fidelibus articulos fidei, quae nemini particulari homini concessa fuit, sed corpori dumtaxat Pastorum Ecclesiam repraesentantium, character ille est omnium splendidissimus, quem Novatores obscurare ac delere perperam conati sunt, utpote fundatum in apertis nimium Scripturarum testimoniis, et in ipsa Ecclesiae natura et constitutione.

IX. Maximo tamen in errrore versaretur, qui existimaret, quando Ecclesia aliquid de novo proponit credendum, aut quando inter fluctuantes opiniones suum interponit iudicium, et solemni decreto aliquam ex ipsis tenendam determinat, novum ab ipsa fidei articulum proponi, aut decerni, ut illud sit fidei obiectum, quod antea non erat. Nihil aliud ipsa facit, quam ut a permixtis erroribus illas veritates secernat ac purget, quas puras clarasque ab ipso Christo accepit, et quae solemnius confirmatae fuerunt a Spiritu Sancto super discipulos descendente in die Pentecostes. Definitiones quatuor primo-

rum

rum Conciliorum generalium tanta ab antiquis Patribus veneratione exceptae, et quas nos etiam aeque veneramur, aliorumque Conciliorum oecumenicorum, quae deinceps celebrata sunt, nil aliud prorsus effecerunt, quam ut ab hominum temerariorum novitatibus veram doctrinam segregarent, et maiori perspicuitate, ac distinctione proponerent, quod semper Ecclesia crediderat circa illos articulos, de quibus disputabatur. Si secus egisset, auctoritate sua abusa ius ad illam infallibilitatem perdidisset, quam Dominus illi concesserat.

X. Sed timendum non est, ne hac auctoritate Ecclesia universalis umquam sit abusura. Idem ille Deus, qui ipsi assistens securam reddit ab errore, quando in fidei et morum doctrina iudicium suum profert, certam pariter facit eadem de causa, quod auctoritate sua numquam abusura sit: et si certitudo ista deesset, incerta pariter vacillaret fides nostra, ac semper quaeri posset, num Ecclesia abusa aliquando fuerit propria auctoritate, aut num a veris fontibus discesserit, unde eius definitiones infallibiles existunt. Hoc pacto Ecclesiae universalis definitiones cuiusque privati iudicio et arbitrariis opinionibus subiicerentur.

XI. Agnoscimus igitur veluti praecipuum fidei nostrae articulum, Ecclesiam etiam universalem nullum habere ius nova dogmata stabiliendi, sed antiqua dumtaxat confirmandi; pariterque agnoscimus, in huiusce iuris exercitio non posse a divinis Scripturis, et a venerabili atque constanti traditione discedere: tunc unusquisque fidelium stricta obligatione tenetur definitiones eius admittere, suamque reformare fidem, si iis inveniretur adversa.

XII. Sed quomodo vox isthaec audiri, et fides reformari poterit, si definitiones ipsae vagae essent implicatae, et obscurae? Quod populorum fidei pro-

po-

ponendum est, et veluti basis haberi debet propriae sanctificationis, clarum debet esse et determinatum. Definitio incerta, et tenebrosa quid aliud faceret, quam divisiones et dubia multiplicare? et non solum in religionem, sed et in logicam peccaretur, si ignotae doctrinae exposceretur fides, aut errores nondum cogniti damnarentur, aut fides exigeretur limitata, respectiva, et indeterminata, et si quid aliud similibus exprimitur phrasibus, ad corrumpendam natis simplicem et puram fidei notionem, et ad promovendas turbas, dominationem, ambiguitates. Si hoc aliquando contingat, ius habent fideles petendi explicationem, et donec haec data fuerit, nullatenus aquiescendum tam irregularibus definitionibus, sed quantum fieri potest, ad Scripturarum et traditionis doctrinam adscendendum est. Viva nimium sunt vulnera ab huiusmodi indeterminatis definitionibus inflicta fidei ob introductas ab aliquibus saeculis novitates, quas contra ius omne sustinuit infelicitas temporum, et divina providentia permisit ad servorum suorum tentamen et experimentum. Ignoravit haec mala feliciori aetate Ecclesia, quae docere quaerebat, et suadere, non imperare, et caecum obsequium exigere. Ecclesiae igitur nomine abusi sunt, qui huius generis definitiones proposuerunt credendas veluti ipsius Ecclesiae auctoritate suffultas. Non praeferunt vocis Ecclesiae characterem illa decreta, quae ab una particulari Ecclesia, aut a paucis Pastoribus prodierunt, non pura intentione inculcata, ad veterem doctrinam subvertendam directa, modis irregularibus et violenter intrusa.

XIII. Non minor tamen auctoritatis huius abusio foret, si ultra limites doctrinae fidei et morum transferretur, et ad externa extenderetur, et extorqueretur per vim, quod ab animi persuasione et amo-

amore proficisci debet. Christus Redemptor suam condens Ecclesiam stabilire noluit regnum aut imperium temporale, et omnes illi traditas potestates ad spiritualia restrinxit. Si hosce limites Pastores excedunt, adfuturum sibi Christum inutiliter sperant, suisque decretis aliena iura iniuste usurparent, et excitarent in societate divisiones et scandala.

XIV. Itaque Sancta Synodus veram Ecclesiae auctoritatem agnoscens, quidquid cupiditates hominum posterioribus saeculis ipsi addiderunt, solemniter reiicit, cum persuasa sit, ad Ecclesiam non pertinere temporalia Principum iura invadere, quae immediate a Deo descendunt: multo minus ad illam spectat per vim, et externam coactionem extorquere decretis suis obsequium: haec ratio praeterquam quod sui iuris non est, quia a Christo illi non ert concessa, nec item est rationi conformis, nec ad finem obtinendum accommodata. Intellectus non flectitur verberibus neque carceribus, nec igne corda reformantur.

XV. En in compendium redactum quidquid a Christiano de hoc argumento credendum est, ne ab immani confusione transferri se sinat plurimorum Scriptorum, qui a puritate doctrinae Christi discedentes, temeraria opinionum suarum commenta magis secuti sunt, et clarissimum argumentum adeo confuderunt, ut illud implicatissimum fecerint et obscurissimum. Nos sicuti nolumus praeiudicium afferre veris Ecclesiae iuribus, quae regula et iudex est fidei nostrae, ita semper nefas putabimus quidpiam adiicere; quod addere noluit Christus, aut aliquid credere ab eo diversum, quod felicioribus temporibus Ecclesia credidit. Ceterum negligere videremur omnium maxime efficacem rationem, qua indicati limites determinentur, nisi quatuor celebres Cleri Gallicani articulos

los adoptaremus, qui tantam pepererunt gloriam doctrinae et zelo venerabilis Conventus anni 1682. Iis itaque primum hoc caput concludemus, et velut obsignabimus, quae hactenus tradita sunt.

XVI. Igitur cum doctissimis illis episcopis profitemur:

1. Beato Petro eiusque Successoribus Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium et temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino, *regnum meum non est de hoc mundo*; et iterum, *reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo*, ac proinde stare apostolicum illud: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici declaramus, neque auctoritate clavium Ecclesiae, directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

2. Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur,

nec

nec probari a Gallicana Ecclesia (ab Ecclesia Pistoriensi, et ab hac Sancta Synodo) qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

3. Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos; valere etiam regulas, mores, et instituta a Regno (a Statu) et Ecclesia Gallicana (et Ecclesia Pistoriensi) recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis, et Ecclesiarum consensione firmatae propriam stabilitatem obtineant.

4. In fidei quoque quaestionibus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

XVII. Hisce principiis a venerabili Clero Gallicano firmatis innixa Sancta Synodus Piissimo ac Sapientissimo Principi nostro applaudit, qui promovere sollicitus publicum bonum, et utilitatem, regio suo Motu proprio diei 28. Augusti 1784. Extravagantem *Ambitiosae* (1) abolevit, utpote quae nata erat confundere ideam duarum potestatum, quas Caput nostrum, et Institutor Iesus Christus voluit absolute distinctas.

(1) Vide Appendicem ad Synodum num. 1.

DECRETUM

DE GRATIA ET PRAEDESTINATIONE ET DE ETHICAE CHRISTIANAE FUNDAMENTIS.

§. I.

Inter praecipuos Synodorum fines iste eminet, ut doctrinae fidei et morum puritas unitasque conservetur. Generali quadam obscuritate obnubilatae fuerunt postremis his saeculis principaliores Religionis veritates, quae fidei et Ethicae Christianae basim constituunt. Necesse est igitur, ut ad principiorum puritatem ascendamus, quae ab introductis novitatibus obscurata fuerunt, ut in Dioecesi nostra illa doctrinae uniformitas stabiliatur, quae fidelium aedificationi inserviat, et ad quam tendunt Religiosissimi nostri Principis vota. *Multum interest*, observat ipse sapienter, *animarum directioni, ut omnes Ecclesiastici in Tribunali Poenitentiae iisdem ducantur Ethicae principiis, iisdem doctrinis*. Sperandum tamen non est, obtineri unquam posse optatam sententiarum, quae ad praxim pertinent, uniformitatem non constituta primum identitate systematum dogmaticorum, cum inter Ethicam et principia dogmatica nimis arcta intercedat dependentia et affinitas.

II. Ut haec principiorum unitas stabiliatur, Princeps noster doctissimus insinuat Episcopis, ut doctrinam sequantur S. Augustini praesertim contra

Pe-

Pelagianos et Semipelagianos, qui Spiritum Religionis Iesu Christi commentis suis destruxerunt, et novum tum quod ad fidem, tum quod ad mores pertinet, Evangelium praedicaverunt. Hanc itaque, et nos securam regulam retinentes ab Ecclesia universali conservatam, confirmatam a Synodis et Romanis Pontificibus, postquam corde et lingua professi fuerimus omnes illos fidei articulos, in quibus unanimis Ecclesiae consensus habetur, breve specimen proferemus veritatum principaliorum; quas Ecclesiae nomine S. Doctor defendit, et quarum notitia deinceps imminuta fuit propter arbitraria hominum systemata, quae ipsius Ethicae christianae ruinam pepererunt. Ex his veritatibus constituetur series eorum principiorum, ex quibus veluti conclusiones fluunt, theoremata, quae ad praxim pertinent, quaeque observanda sunt in regimine animarum.

III. In cognitione primi et secundi Adam universa Religio consistit. Super hos duos constituitur ordo et substantia Religionis Christi. Hinc Patres nostri dicebant, quod Pelagiani rectam horum notionem commutantes, *totum quod christiani sumus, nitebantur evertere*. Ergo et lapsus primi Adam, et operata per secundum reparatio prae oculis semper habenda sunt, ut de interiori homine, de infirmitatibus, de opportunis remediis, et eorumdem applicatione recte iudicemus, et animas nostrae curae commissas sancte regamus. Sanari certe non potest morbus, qui ignoratur, nec fructuose adhibetur medicina, cuius non cognoscitur natura, indoles, et efficacia.

IV. Primus homo in beato innocentiae statu creatus fuit a Deo, nec aliter prodire poterat e manibus Creatoris. Status alter qualiscumque chimaera est, et humanam naturam e gradu suo deiicit, pugnatque cum summae providentiae perfectionibus.

Fides docet, Adamum in iustitia et charitate fuisse constitutum. Amabat ergo Creatorem suum, nec quidpiam ipsi inerat huic amori contrarium. Hinc caelesti lumine illustratus, et amore succensus beata in bono perseverandi facilitate fruebatur. Nunquam oppetiisset mortem, si in bono perseverasset: et hoc ipsum ab ipsius arbitrio dependebat. Constituit illum Dominus in perfecto virium aequilibrio, ut demonstraretur, quid in ipso liberum valeret arbitrium. At huius aequilibrii idea veluti scopulus progressu fuit, in quem Gratiae Iesu Christi hostes impegerunt; quippe ex primaevae libertatis notione ad statum nostrum translata tot monstrosa systemata circa praedestinationem et gratiam conflata sunt, et in Ethicam christianam tot falsa commenta profluxerunt.

V. Positus Adam in maxima facilitate non peccandi tamen peccavit. De acceptis donis delectatus est, sibique complacuit, et oblitus est supremi sui Benefactoris. En illud Adae peccatum; peccatum gravissimum, ut ait S. Augustinus, propterea quod ab ipso commissum est in tanta luminum copia et per liberrimam arbitrii sui sani et perfecti determinationem. Dereliquit homo Deum suum, et totus deordinatus est. Quaerebat recuperare perditam felicitatem, et semper in se ipsum relabebatur, et sibi se non sufficere sentiens, ad exteriora delapsus creaturarum amore vehementer exarsit, et earum se constituit veluti centrum, et ultimum finem. Sic cum viam ad beatitudinem perdidisset, revolvebatur semper de tenebris in tenebras, de errore in errorem, de peccato in peccatum; ab illo amore, quo sibimet ipsi tenebatur obstrictus, numquam se se extricare poterat. En duo profundissima vulnera, quae primi peccati consectaria fuerunt, ignorantia, et concupiscentia.

VI. Verum primus homo per propriam praevarica-

ricationem non solum sibi ipsi nocuit, sed universae posteritati. Ipse *mutatus in deterius secundum corpus et animam* mala sua transfudit in posteros. *Nec enim*, ut ait S. Augustinus, *erat aequitatis, ut meliores gigneret, quam ipse esset*. Vitiata radix producere debebat fructus vitiatos et corruptos. Transfudit ergo iuxta ordinem generationis in filios ignorantiam boni, et ad malum perversam proclivitatem. Haec duo vitia omnem hominem venientem in hunc mundum comitantur. Hinc omnes filii Adae inordinatam a nativitate voluntatem habent, nascunturque filii irae Dei, cui placere non potest deordinatio; nascuntur peccatores, digni, qui in aeternum separentur a summo Bono, digni aeterna morte, a qua nec pueri immunes sunt, qui sine baptismate moriuntur.

VII. Itaque ignorantia et concupiscentia duo sunt vulnera, quae humanae naturae originale peccatum inflixit. Duo sunt vitia, quae esse certe non poterant natura instituti hominis, sed poena damnati; atque a peccato proveniunt, et infelix causa sunt peccatorum nostrorum. Non intelligebat Pelagius, quomodo ignorantia boni, quae nobiscum innascitur, et quae secundum ordinem generationis ad nos transmittitur, qua fit, ut homo *erret invitus et nolens*, a peccato ipsum excusare non posset. Sed haeresim hanc abiurare in Synodo Palaestina compulsus fuit, si quidem voluit haberi catholicus. Est ergo certissimum, hanc ignorantiam, ad ius naturale quod spectat, non excusare hominem a peccato, quoniam et semper vincibilis est, ut docent Patres, sive, viribus naturae, sive per auxilium gratiae, et semper esse supponit animi corruptionem, qua fit, ut aut naturalia ad eam vincendam adiumenta omittantur, aut nobis gratia denegetur.

VIII. Altera profundior plaga est concupiscentia. Haec est motus animi ad fruendum se ipso; et rebus creatis *non propter Deum*. Haec igitur affectio animi est inordinata, et mala naturâ suâ. Ipsa a peccato est, et ad peccatum inclinat, et licet culpae non imputetur, nisi consentientem habeat voluntatem, malum tamen hoc est, quod nobiscum nascitur, et quod nobis dominatur, donec charitas inspiretur. Hinc homo gratia destitutus peccati servus est, quoniam dominante in eius corde cupiditate, utcumque extra se ferri conetur, semper tamen in se ipsum relabitur, omnia ad se ipsum refert, et ex generali amoris dominantis influxu omnes actiones vitiat et corrumpit. In hoc statu positus homo non habet de suo, nisi peccatum, tenebras, vanitatem. Veritates istae durae fortasse videbuntur hominis superbiae, et saeculi philosophiae: veritates tamen sunt, quas Christus docuit, et ad nos Sancti Patres et Concilia transmiserunt.

IX. Ex hac infelici imagine filiorum Adae intelligitur, quantum sit pretium Redemptionis Iesu Christi. Ex hac dignoscitur necessitas et efficacia gratiae ipsius. Nisi Domini misericordia lapsum hominem sublevasset, nunquam se se erexisset a lapsu, sed sub ruina sua iacuisset oppressus. Obcaecatus in intellectu, et amore sibimetipsi adhaerens nullas habebat vires, quibus se ferret ad Deum, a quo recesserat. Poterat iuste Dominus ipsum in sua infelicitate deserere; voluit tamen hominum misereri, illosque redimere. Sed Redemptionis opus effectus gratuitus est infinitae ipsius bonitatis; illudque, sicuti ei fuerat beneplacitum, ordinavit. Divinae igitur providentiae oeconomia, qua salvare voluit humanum genus, non ab hominum opinionibus atque commentis, sed a divinae revelationis fontibus repetenda est.

X.

X. Post lapsum hominis promissit Deus, et revelavit futurum Reparatorem; Consolari voluit humanum genus, proposita spe salutis, quam Iesus Christus erat allaturus. Hinc ad Iesum Christum tendebant omnia vota, et fides illorum paucorum hominum, quos ex saeculi corruptione selegit Deus veluti primitias illius beati temporis, quo abundare debebat iustitia. Sed voluit Dominus humanum genus per varios status pertransire, donec plenitudo temporis perveniret; atque ut homo propriae cognitioni derelictus disceret de sua coeca ratione diffidere, et ex admissis praevaricationibus superni luminis auxilium desiderare cogeretur, ordinavit. Iste fuit naturae status, in quo nesciebat homo peccatum, et a concupiscentia, quam non noverat, trahebatur. Proposuit illi Deus legem, per quam peccatum cognosceret; verum cum illam servare non posset, factus est sub lege praevaricator. Hinc delictum magis abundavit, tum quia, prohibente lege peccatum, peccandi desiderium magis inflammatum est, tum quia praevaricatio, sive contemptus legis peccato insuper additus est. Non fecit igitur lex iustos sed praevaricatores, non filios peperit, sed servos, non quidem ipsius legis culpâ, sed culpâ hominis, qui legem habens sine gratia magis magisque peccavit. Verum licet lex cor hominis non sanaverit, effecit tamen, ut mala sua cognosceret, ut de propria imbecillitate convinceretur, et disceret implorare gratiam Mediatoris. Lex itaque per Moysen data fuit, non ut plagas hominis sanaret, sed ut illum admoneret de propria infirmitate, et de remedii necessitate.

XI. Cum vero plenitudo temporum venit, descendit e sinu Patris Unigenitus eius Filius, nobisque attulit salutem. *Lex per Moysen data est, gratia vero per Iesum Christum.* Ex morbi natura naturam

quoque et efficaciam cognoscere possumus medicinalis gratiae Iesu Christi. Ignorantia expellenda erat a scientia, et concupiscentia a charitate vincenda. Gratia igitur nos illuminat, et ostendit bonum, et ad illud sectandum hortatur. Sic intellectus plaga sanatur. Sed non sufficit bonum cognoscere, ut illud sectemur: immo cum in animis nostris terrenus dominetur amor, hoc tantum praestat gratiae lumen, si solum sit, ut status nostri infelicitatem, nostrique morbi gravitatem cognoscamus. Tunc eumdem effectum, quem olim lex, gratia producit. Si bonum quod cognoscitur non diligitur, *non agitur*, *non suscipitur*: hinc necesse est, ut Deus sanctam in corde nostro dilectionem creet, sanctamque delectationem inspiret amori in nobis dominanti contrariam. Hic sanctus amor, haec sancta delectatio est proprie dicta gratia Iesu Christi: est inspiratio charitatis, qua cognita sancto amore faciamus. Haec est illa radix, a qua bonae prodeunt operationes: haec est gratia novi Testamenti, quae a peccati servitute nos liberat, Deique filios constituit.

XII. Ex his veritatibus, quas in operibus contra Pelagianos S. Augustinus docuit, intelligimus, in quonam humani cordis infirmitas, eiusque sanitas consistat. Intelligimus duos esse in homine amores, veluti duas arbores, ex quibus omnes prodeunt operationes, cupiditatem nempe, et charitatem: primam esse arborem malam, quae non potest nisi malos fructus facere, alteram bonam, quae sola facit fructus bonos: ubi non regnat charitas, cupiditatem dominari, et vicissim. Secundo ex praeordinata a Deo hominum salute cognoscimus gratuitam esse Dei gratiam, et praedestinationem Sanctorum; veritas haec principalis est, quam adversus superbos saeculi sapientes Ecclesia propugnavit, et quae Christianae

Re-

Religionis, ceterarumque virtutum fundamentum constituit. Colligimus tertio, quaenam sit gratiae efficacia, adeo ut ipsa a voluntate nostra non pendeat, sed eam in nobis producat, suaque virtute omnipotenti *faciat ex nolente volentem*: unde tantum abest, ut gratia consensum nostrum expectet, ut illum in nobis creet, quoniam *operatur in nobis velle et perficere*. Agnoscimus etiam non solum sine illa nullum bonum opus perfici, sed ne inchoari quidem, nullamque ipsius cogitationem concipi posse: a primo bonae voluntatis exordio usque ad operis complementum totum esse illius divinae virtutis donum, quae illaesis liberi arbitrii iuribus a peccati servitute nos eruit, et ad beatam operandae salutis libertatem perducit. Duos igitur Augustinianae doctrinae fundamentales articulos, gratuitam nempe electorum praedestinationem, et intrinsecam gratiae Iesu Christi efficaciam adoptamus.

XIII. Hanc, duce S. Augustino, doctrinam statuere oportuit, ut ad veritates, quae ad mores pertinent, et in paxi sectandae sunt, descendamus. Si non excusatio, sed poena peccati est divinae legis ignorantia, quotiescumque quis peccat contra legem naturalem, sive illam ignoret, sive ad illam non convertat animum, sive de illa dubitet, peccati reus semper habendus est. En igitur ethicae regulam certissimam. Ignorantia, inadvertentia, et probabilitas excusare eos certe non possunt, qui praecepta legis naturalis infringunt. Si intellectus noster obtenebratus est et obscuratus, hoc ipsum iusta poena peccati est, nec ad peccati excusationem est producendum. Igitur ut veritas, quae actuum nostrorum unica regula est, inveniatur, adiumenta omnia adhibenda sunt, interque tenebras et dubia illa tenenda pars, quae favet legi, et nisi de actionis honestate certi-

tu-

tudo moralis habeatur, nunquam agendum est. Qui de iusta peccati poena convictus est, clarissime cognoscit, peccati periculum se cavere non posse, nisi supradictas regulas servet, quas recta ratio docet, Sancti Patres tradiderunt, et sine contradictione observavit Ecclesia usque ad postrema haec tempora, quibus, ut Summus Pontifex Alexander VII. observavit, adeo effrenata opinandi licentia, et evangelicae simplicitati, et Sanctorum Patrum doctrinae contraria invaluit, ut inter luxuriantes hominum opiniones in omnibus ethicae Christianae partibus agitata Sponsa Iesu Christi per annos plures gemere cogeretur.

XIV. Secundo ex praefinito Redemptionis ordine Iesu Christi, et mysteriorum ad ipsum spectantium fidem necessariam esse colligimus. Hinc quicumque huiusmodi ignorat mysteria, absolutionis incapax erit. Vae tamen Pastoribus, qui populum sibi commissum in christiana fide, quae salutis fundamentum est, erudire non satagit! Perperam vero de iustorum iudiciorum Dei, cui vult fidem concedentis, cui vult iusto iudicio denegantis, profunditate disputatur. Nobis satis est nosse, per hanc fidem voluisse Deum afferre salutem, et sine hac sperari nullatenus posse, ut inde et necessariam nostri populi instructionem, et ad recipienda Sacramenta incapaces esse concludamus, qui fundamentalia fidei nostrae mysteria ignorant.

XV. Ex veritatibus in articulo praecedenti expositis difficile non est, iustam infirmitatis humani cordis, et iustitiae christianae ideam efformare. Cupiditas dominatrix animae morbus est, sicut quae illam sanat medicina, est charitas. Ex hac notione de cordis sanitate iudicandum. Cum dominantis in hominis corde amoris non aequivoca signa patuerint, tunc dignum merito iudicabimus, qui ad eam, quae

per

per Sacramenta fit, Sanguinis Iesu Christi participationem admittatur. Verum evidenter apparet, timorem poenarum, et attritionem servilem non sufficere ad sanandam animam, quae amore dominante rebus creatis adhaeret. *Contraria contrariis curantur*. Peccati amor, nisi amore iustitiae, non vincitur. Timor cohibere quidem manum, cor vero sanare non potest. Hinc quae per attritionem factae dicuntur conversiones, nec efficaces esse solent, nec diuturnae. Humani cordis cognitio, et experientia quotidiana nos de hac veritate convincunt. Igitur animarum Pastor, ante quam ad Sacramenta suos poenitentes admittat, ad non aequivoca charitatis dominantis indicia debebit attendere.

XVI. Monet autem Evangelium, signa, ex quibus de cordis conversione iudicandum sit, esse fructus bonorum operum: *ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Haec est igitur in tribunali poenitentiae regula observanda. Poenitentium promissa, lacrimae, protestationes signa sunt communia cuilibet ad Sacerdotem accedenti. Soli fructus operum moraliter certum conversionis indicium exhibere possunt. Cum Dei amor animam possidet, operosus et efficax est: *amor aut operatur, si est, aut si non operatur, non est*. Eosdem erga Deum affectus dominans in corde charitas, quos erga creatas res dominans cupiditas producere solet.

XVII. Divinae gratiae oeconomia in salute humani generis procuranda aliam maximi momenti veritatem Pastores docet, nempe passim a Deo non nisi per gradus conversionem cordis operari. Eam providentiae rationem, qua voluit Deus, ut humanum genus per varios status transiret, donec plenitudo temporum illucesceret, S. Augustinus comparat cum ea, quam in conversione peccatorum tenet. Tres igitur status considerandi sunt, cum peccato-
res

res ad poenitentiae Sacramentum accedunt, status ignorantiae, status legis, et status gratiae. Pro variis, in quibus ii versantur, statibus remedia applicanda sunt, et de dispositionibus iudicandum. Si non cognoscit peccatum, neque ipsius gravitatem, nec miseri status sui infelicitatem adhuc sentit: tunc instructione, rerum caelestium meditatione, et gravioribus correptionibus opus est, ut propriam sentiat infirmitatem. Si cognoscit peccatum, et sub servitute malarum consuetudinum gemit: plena prudentiâ et charitate agendi ratio est ipsi tempus concedere sentiendi pondus peccatorum suorum, ipsum coram Deo humiliari, et exhortari, ut oret, ac ita gratiae a servitute liberantis necessitatem agnoscat. Si denique detestari peccatum incipit, si cum suis concupiscentiis pugnat, tunc transit ad statum gratiae. Verum nec semper, nec statim haec gratia triumphat. Non unico momento Deus amorem dominantem inspirat. Charitatis adhuc parvulae motibus illum erudit ad pugnam. Hinc vincere conatur, et recidit. Cavendum, ne haec divini amoris semina suffocentur, sed precibus, et pietatis exercitiis nutrienda sunt, donec adulta, et robusta charitas amorem contrarium vincat. Hoc autem Pastor cognoscere in poenitente poterit, si constanter illum a peccato cessantem viderit, et bonis operibus ardenter incumbentem.

XVIII. Ex natura gratiae, quae cor convertit ad Deum, facile quoque intelligitur, transitoriam, inconstantem, et instabilem non esse, ut vulgo creditur, veram cordis conversionem: habet ipsa quamdam firmitatem atque constantiam; et quamvis inamissibilis omnino non sit, non tam facile nec tam frequenter amittitur. Si quae affectio animum possideat, cordi dominetur, et ad se nostrarum cogitationum, et affectuum maximam partem trahat, nec

pas-

passim nec facile subiacet mutationi. Quotidiana terrenarum affectionum exempla non desunt, quae cum humani cordis dominium arripuerint, id ipsum commonstrant. Iam vero minor sane non inest charitati vis, quam ceteris affectionibus: *fortis ut mors dilectio*. Sancta Dei dilectio nobis divinitus inspirata, si affectibus nostris eam dominari contingat, tantum habet virium, ut obstacula superet, et contrarias vincat delectationes. Qui illam ita imbecillem credit, ut quolibet tentationis vento extinguatur et pereat, charitatis naturam ignorat prorsus, et iniurius est efficaciae donorum Dei. Hinc non tam facile fidendum iis poenitentibus edocemur, qui licet a peccatis suis resurgere conentur, saepe tamen in eadem relabuntur, et confessionum et criminum veluti circulum faciunt. Non fallat nos male concepta humani cordis imbecillitas. Sustentata ab omnipotenti Dei gratia infirmitas hominis fortis efficitur, et robusta, nec tam facile terrenorum affectuum tentationibus cedit. Ad haec principia exigi debet praxis Confessarii erga relabentes in crimina.

XIX. Absolutiones praecipites et imprudentes a falsis libertatis et gratiae notionibus maxima ex parte fluunt. Si homo in quadam aequilibrii specie consideratur aequalibus inter bonum et malum viribus instructus, humani cordis corruptio, et abyssus inordinatorum affectuum, in quibus nullo nos aequilibrio pollere intimus cuiusque sensus, et continua experientia testantur, non est attendenda. Hinc vera animi humani infirmitas ab oculis evanescit, et non nisi exteriorum actuum substantia consideratur. Aliunde vero si gratia a libero arbitrio dependens, et voluntatis consensui alligata existimatur, facile nimis est poenitentis protestationibus credere, qui et se poenitere, et nolle amplius peccare

te-

testatur. Gratiae versatilis, et reipsa libero arbitrio subiectae praeconceptio viam praecipiti poenitentes absolvendi facilitati aperiat necesse est. Interest ergo quam maxime in animarum regimine, ut Confessarii menti semper obversentur iustae notiones servitutis peccati, sub qua post Adae lapsum liberum gemit arbitrium; tum gratiae naturae, efficaciae, gratuitatis, et modi, quo cor hominis sanitati restituitur.

XX. Plures alias instructiones pro regula Sacerdotis et poenitentium ex iisdem principiis dogmaticis eruere licet. A victrici gratiae Iesu Christi virtute discimus, de peccatorum etiam pertinaciorum conversione numquam esse desperandum; ipsorum imbecillitates, atque relapsus sine fastidio tolerandos; atque instantius orandum Deum, ut in ipsis suarum dominantium cupiditatum victoriam perfecte compleat. Discimus confortare poenitentes cum spe coelestis auxilii, ut omnem fiduciam suam in manu Dei reponant, ne licet inveteratis habitibus irretiti animum despondeant. Gratiae gratuitas docet nos Dei iudicia adorare, in administratione Sacramentorum praescriptis a Christo regulis adhaerere, misericordias Domini patienter expectantes. Inde etiam novimus salutarem timorem in animis eorum incutere, qui in se ipsis nimium confidunt, ut *unusquisque cum timore et tremore salutem suam operetur*. Inexhaustum denique in expositis veritatibus thesaurum habemus, unde opportunas nobis, et animabus nostrae curae commissis instructiones desumamus. Super illas omnium christianarum virtutum exercitium vertitur. Illarum ope timor, humilitas, spes, fiducia in Deo excitatur. Per ipsas et gratus producitur erga Deum animus, et Dei proximique charitas inflammatur.

XXI.

XXI. Hinc non est mirum, si concussis aetate nostra praeiactis fundamentis omnis religionis christianae compago magnum detrimentum passa sit. Immutatis libertatis, gratiae, et praedestinationis notionibus, ipsae, quae ad mores pertinent, sententiae immutatae fuerunt; et effraenis illa absolvendi facilitas invecta, quae omnium origo est foecunda malorum, quae ab Ecclesia tolerantur. Verax christianae iustitiae idea abolita, et in charitate consistens religionis spiritus extinctus est; et vanum pharisaicae iustitiae simulacrum, solumque christianarum virtutum nomen unice permansit. Per varias hominum opiniones, et arbitraria in his doctrinae capitibus systemata, Babylonicam quamdam ineptarum opinionum confusionem, in universam morum doctrinam, praecipue vero in poenitentiae administrationem, vidimus introductam. Mutationem hanc ex principiorum connexione contigisse, gravissimi non minus Galliae, quam Italiae Theologi evidenter demonstraverunt.

XXII. Volentes igitur ad praxis simplicitatem, et uniformitatem reverti, exposita in articulo secundo principia adoptare decrevimus, quae in animarum regimine nostrae agendi rationis fundamentum constituent. Secuti doctrinam Sancti Augustini, quam Ecclesia veluti pretiosam sibique a Deo commissam haereditatem semper conservavit, semperque proposuit, et commendavit fidelibus, ut ex variis decretis colligitur Summorum Pontificum Clementis VIII., Pauli V., Alexandri VII., Innocentii XI., Benedicti XIII., Clementis XIII. de eorumdem principiorum veritate nullatenus dubitavimus. Sed quoniam postremis hisce temporibus, infinitae suspiciones circa purioris doctrinae articulos, et scriptores certissime orthodoxos partium studio disseminatae sunt;

op-

opportunum credimus *ad obstruendum os loquentium iniqua* quosdam doctrinales articulos adoptare, quos sacra Lovaniensis Facultas anno 1677. SS. Patri Innocentio XI. exhibuit, et duodecim pariter articulos, quos SS. Patri Benedicto XIII. proposuit Cardinalis de Noailles. Cum enim universae Europae notissimum sit, huiusmodi articulos Romae severissimo examini fuisse subiectos, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos, os obstruemus inimicorum sanioris doctrinae si illos adoptaverimus, quales hic subiicimus,

ARTICULI THEOLOGICI,

QUOS

THEOLOGICA FACULTAS ALMAE UNIVERSITATIS LOVANIENSIS INNOCENTIO PAPAE XI. PER SUOS DEPUTATOS ANNO 1677. TRANSMISIT AC OBTULIT IUDICANDOS.

De ignorantia, probabilitate, et malitiae actus humani inadvertentia.

1. Duo innata sunt vitia originalia: concupiscentia et naturalis ignorantia.

2. Uti nulla concupiscentia est insuperabilis, ita nulla eiusmodi ignorantia est invincibilis.

3. Quippe sicuti omnis illa per divinae gratiae auxilium, ita omnis haec per eiusdem gratiae lumen superari potest.

4. Opera igitur nostra naturali legi contraria, quae ex tali ignorantia procedunt, â peccato plene ex-

excusari nequeunt; ne favore quidem ullius verisimilitudinis aut probabilitatis.

5. Ad summum posset subinde mortalis macula dilui in venialem.

6. Quod ipsum tamen locum non habet in his peccatis, quae primis naturalis et aeternae legis principiis, aut manifestioribus eius praeceptis adversantur.

7. Uti de peccatis carnalibus dilucide docet S. Aug. exposit. inchoata in epist. ad Romanos, ea ne in ipsis quidem pueris et adolescentibus a mortali malitia expurgari per ignorantiam.

8. Si autem actum legi aeternae et naturali contrarium numquam plene excuset istius legis ignorantia, multo minus simplex inadvertentia, seu non reflexio ad malitiam.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1. Fundamentale ac primarium legis aeternae mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et Proximum sicut teipsum.

2. Vocem *charitas* tametsi aliqui Scholastici accipiant pro sola illa Dei dilectione, quae est nostra cum eo per peccatorum remissionem amicitia, S. Augustinus et alii Patres eam sumere solent pro quavis supremi boni casta propter se dilectione, *quasi vero* (inquit Augustinus) *aliud sit bona voluntas, quam charitas*.

3. Hinc idem S. Doctor distinguit charitatem natam, nutritam, adultam, robustam, perfectam; et hanc duplicem: aliam praesentis, aliam futurae vitae, quae distinctio frequenter placet etiam S. Thomae.

4. Itaque charitas et cupiditas generatim sum-

pta non sunt aliud, quam bona et mala voluntas. Sunt bona et mala radix, quarum haec solos malos, illa proferre possit solos bonos fructus.

5. Omne opus, ut plene bonum sit, et ne venialiter quidem in eo delinquatur, debet ex tali charitate procedere, ac per ipsam referri in Dominum Deum: *Nec enim*, teste Augustino, *fructus est bonus, qui de radice charitatis non surgit*.

6. Attamen ista relatio per charitatem perfectam fieri non debet: sufficit eam fieri per charitatem imperfectam.

7. Sed neque necessaria est relatio ex charitate actuali, sive ex charitate, super quam fiat actualis reflexio.

8. Haec namque continua in operibus nostris reflexio est multis huius vitae distractionibus impossibilis.

9. Sufficit ergo quod opera nostra per charitatem virtualem in Deum referantur.

10. Continua virtualis dilectio versari debet non solum circa Deum, sed etiam circa proximum. Absit ut Christiana iustitia contenta sit hunc solummodo non odisse, aut illi sola externa impendere officia.

11. Par nobis obligatio est fidei et spei: etiam per has virtutes obligamur Divinae Maiestati continuo, saltem virtualiter, adhaerere.

12. Fides debet esse assensus firmissimus. S. Clemens Alexandrinus recte docet firmiorem esse omni demonstratione. Quare, quicumque censet esse posse probabilem dumtaxat aestimationem, iampridem damnatus est in Petro Abaëlardo.

13. Debet esse non naturalis aut late dicta, sed omnino supernaturalis et innixa authoritati Dei loquentis, per quam credantur quae divinitus revelata et promissa sunt.

14.

14. Ad iustitiam et salutem necessaria fides debet expresse tendere in unam Divinae Maiestatis essentiam, ac in tres Personas, item in Deum remuneratorem, etiam in Christum Mediatorem. Novisse debet eius Incarnationem, Passionem, Mortem; Resurrectionem, ec.

15. Horum omnium expressa fides est necessarium iustificationis medium. Quicumque vel unum eorum ignorant, licet baptizati sint, sunt ex illorum numero, de quibus ad S. Petrum Alexandrinum clamavit olim Angelus: *Ut quid huc iactatis vacua marsupia?*

16. Hinc Episcopi, Presbyteri Curati, aliique animarum directores rigidissime obligantur fidelem populum de iis omnibus plene instruere; quod praeceptum merito innovavit Synodus Tridentina.

DUODECIM ARTICULI.

„ 1. Post Adae peccatum nemo deinceps veram iustitiam aut salutem aeternam adipisci potuit absque Mediatoris et Redemptoris fide, modo magis, modo minus explicita seu distincta, pro varietate temporum et personarum.

„ 2. Lex *Moysis* vi propria necessariam ad implenda Dei praecepta gratiam non conferebat.

„ 3. Absolutae Dei voluntati nemo resistit.

„ 4. Ut in statu naturae lapsae liberum hominis arbitrium peccare aut mereri censeatur, non requiritur aequalis ad bonum et malum facilitas, aut aequalis utrinque propensio, nec aequales in voluntate vires requiruntur.

„ 5. Coecis et obduratis omnem gratiam interiorem aliquando subtrahi in poenam praecedentium peccatorum, multi et celebres Theologi

 „ si-

„ sine erroris periculo propugnant. Qui autem om-
„ ni gratia destituti gravia peccata contraherent,
„ coram Deo non reos nemo dicere audeat.

„ 6. Praecipuum Religionis caput est divinum
„ mandatum de dilectione Dei, a caeteris praecep-
„ tis distinctum.

„ 7. Omnium nostrarum actionum ad Deum
„ directio res est praecepti, non consilii tantum:
„ nec sufficit si tendunt solum interpretative ad
„ Deum.

„ 8. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu
„ non cogitans, vel expresse ad malitiam pec-
„ cati non advertens graviter peccat, Deum of-
„ fendit.

„ 9. Tutam salutis viam minime sectantur qui
„ in Sacramento Poenitentiae non requirunt eam
„ Dei dilectionem, quam ad iustificationem in Bap-
„ tismo ab adultis exigunt Concilium *Arausicanum*
„ secundum, et Concilium *Tridentinum*.

„ 10. Evangelicis praeceptis et Ecclesiae re-
„ gulis consentanea est praxis, qua differtur abso-
„ lutionis beneficium poenitentibus gravissimorum
„ aut publicorum scelerum reis; vel iis qui in pec-
„ cati lethalis consuetudine, aut occasione proxima
„ versantur; vel iis, qui inimicitias deponere, abla-
„ ta proximo suo bona, vel famam, honoremve res-
„ tituere, scandala reparare renuunt, aut sua culpa
„ procrastinant; vel qui sincerae conversionis ani-
„ mi dubia exhibent signa; vel iis qui mysteria fi-
„ dei aut Christianae vitae praecepta addiscere negli-
„ gunt; vel generatim omnibus, quos non sicut
„ oportet praeparatos prudens Confessarius iudica-
„ verit.

„ 11. Scripturae Sacrae lectio per se quidem
„ utilis est, sed omnibus et singulis hominibus ne-

ces-

„ cessaria non est ad salutem (1). Nec unicuique licet
„ Scripturas pro suo arbitrio aut ex privato spiritu
„ interpretari, aut eas legere absque debita pastori-
„ bus reverentia et obedientia, aut sine sincera ani-
„ mi submissione erga Ecclesiam, cuius est de ve-
„ ro sensu et interpretatione Scripturarum iudicare.

„ 12. Si qua excommunicatio manifeste prohi-
„ beat verae virtutis actum, aut a vero praecepto
„ avertat, iniusta simul ac invalida censenda est
„ iuxta Ecclesiae decreta.

Hisce duobus decretis Patres n. 237. subscripserunt, Episcopo Praesidente computato. Qui subscribere recusarunt, sunt qui sequuntur.

Ciglieri Angelus Colonicae *Plebanus*.

Gelli Antonius *Prior Valenziatici*.

Vivarelli Marcus Parochus loci, qui dicitur *Lubgomano*.

Cellesi Fabritius Canonicus.

Tolomei Franciscus Presbyter *Oratorii*.

P. Antonius Bartoli *Minorum Conventualium* cum hac clausula subscripsit. *Salv. iuxta doctrinam Ecclesiae, et praxim et professionem fidei*.

---

(1) Cum articulus iste generatim acceptus a pigris et incuriosis fidelibus male intelligi possit; ideo Sanctae Synodo placuit observare, quamvis Scripturae sacrae lectio omnibus et singulis absolute necessaria dicenda non sit, ab hac tamen lectione, quae maxime interest, non nisi veram impotentiam excusare. Nimis clara sunt Sanctorum Patrum testimonia hac super re, nimisque sensibilis est primarum veritatum religionis obscuratio, quam isthaec incuria, et divinarum Scripturarum ignorantia pepererunt.

SESSIO IV.

HABITA X. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

In hac Sessione, quae incepit hora octava matutina, celebratum fuit Sacrum a D. Antonio Francisco Giusti Plebano Carmignani. Eo expleto, et recitato Evangelio S. Lucae *Convocatis Iesus* ec. uti in prima Sessione, consueti ritus sacri peracti sunt, quos haec Oratio conclusit:

Ad te Domine interni clamoris vocibus proclamantes unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati; praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum ec. Qui tecum ec.

Cum sedissent omnes, D. Canonicus Talini rationem munerum suorum Praesidi, et Sanctae Synodo reddidit, ad Synodum accessisse referens D. Doctorem Thomam Giusti Parochum S. Salvatoris, et Deputatum D. Matthaei Mazzei Parochi Collensis, iustisque de causis hactenus abfuisse. Subdidit postulare D. Doctorem Iacobum Cari, ut ad Synodum admitteretur; D. Valentinum Donnini Vernii Plebanum passum salutis incommoda deputasse D. Io. Andream Tozzini Vicarium Abbatem Montisplani; et cum Praelati venia propter spirituale ministerium Prioratus Gelli Sacerdotem Bartholomaeum Bianchi a Synodo discessisse.

At-

Atque his omnibus Patrum beneplacito approbatis, unus ex Secretariis pulpitum ascendit; et ratione habita difficultatum, quas Promotori ii detulerant, qui Sessionis tertiae Decretis non subscripserant, his verbis Synodum allocutus est.

„ Quamvis quorumdam paucorum dissensus „ non magni faciendus sit, nec officere possit „ huius Sanctae Synodi Decretis, quae vim omnem „ suam obtinent propter moralem unanimitatem; „ cum tamen vel minima dubia dilucidare velit, „ ad hunc finem, ne Sessiones inutiliter protrahan- „ tur, constituenda proponitur Congregatio.

„ Congregationem hanc component qui infra „ nominantur, nempe

„ D. Canonicus Ioseph Talini, *Chori Praefec-* „ *tus*.

„ D. Ioannes Paolini, *Prior S. Pauli*.

„ D. Philippus Longinelli, *Prior S. Vitalis*.

„ D. Ioseph Bartoli, *Prior Spiritus Sancti*.

„ P. Ioseph Baldesi, *Parochus S. Prosperi*, *et* „ *Oratorii Praepositus*.

„ D. Doctor Ranieri Meucci, *Plebanus Tizza-* „ *nae*.

„ D. Doctor Ioannes Fossi, *Parochus S. Pantaleonis*.

„ D. Laurentius Fortunatus Taci, *Vicarius Fo-* „ *raneus Abbas*, *et Plebanus S. Iusti in Piazzanese*.

„ D. Petrus Casseri, *Plebanus Valdibure*.

„ D. Hieronymus Frosini, *Plebanus Vinacciani*.

„ D. Gabriel Baldi, *Plebanus Montismagni*.

„ D. Dominicus Fanoi, *Plebanus Pitelii*.

„ D. Ioseph Arrigoni, *Plebanus Momigni*.

„ D. Bartholomaeus Colti, *Plebanus Lizzani*.

„ D. Thomas Bianchi, *Gabbiani Prior*.

„ D. Io. Baptista Fiorini, *Prior Candeliae*.

„ D. Vincentius Moroni, *Prior Conteanae*.
„ D. Ioseph Vezzosi, *Prior S. Petri a S. Mato*.
„ D. Alexander Vanini, *Parochus Spignanae*.
„ D. Carolus Baroni, *Parochus Piazzae*.
„ D. Petrus Frosini, *Parochus S. Blasii a Vi-*
„ *gnole*.
„ D. Petrus Laurentius Gherardini, *Parochus*
„ *a Cassero*.
„ D. Ioseph Dolfi, *Parochus Montagnanae*.
„ D. Petrus Setti, *Prior Grignani*.
„ D. Antonius Vincentius Paperini, *Parochus*
„ *Capezzanae*.
„ D. Ioseph Dini, *Parochus S. Michaelis a Tob-*
„ *biana*.
„ D. Franciscus Berchielli, *Parochus Sarripoli*.
„ D. Thomas Gelli, *Plebis Montemurli Oecono-*
„ *mus*.
„ D. Ioannes Andreoli, *Vice-Parochus S. Lu-*
„ *ciae*.
„ D. Antonius Querci, *Capellanus Curatus Spi-*
„ *ritus Sancti*.

A SECRETIS.

„ D. Franciscus Ghezzi, *Vicarius Foraneus et*
„ *Parochus Collinae*.
„ D. Aloysius Carlini, *Rector Academiae Ec-*
„ *clesiasticae S. Leopoldi*.

NOTARIUS.

„ D. Doctor Ioseph Iacopetti.
„ Ad hanc Congregationem accedent etiam Sy-
„ nodi Promotor, Theologi, et Canonistae Depu-
„ tati. „

„ Pla-

„ Placet ne vobis, Venerabiles Patres, propo-
„ sitam Congregationem, et supradictos Dominos
„ Deputatos approbare? „

Cum Patres concorditer et unanimiter respondissent, *placet*, Episcopus formula tertiae Sessionis usurpata praescripsit, ut quae in Congregationibus intermediis de Sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione, et Eucharistia decreta fuerant, promulgarentur. Hinc iuxta tertiae Sessionis methodum quatuor Decreta a Synodi Secretariis lecta fuerunt, quae ab universo sacro Conventu plene fuerunt approbata.

Post haec Praeses Synodum his verbis allocutus est.

„ Venerabiles Cooperatores, et Consacerdotes,
„ huius S. Synodi Promotor iuxta praenunciata in
„ huius Sessionis indictione in nomine Domini res
„ exponet, circa quas discussiones nostrae, et
„ nostrae definitiones versabuntur. Spiritus sa-
„ pientiae, pacis, unitatis, et charitatis christianae
„ vobiscum sit.

Cum autem Synodus respondisset, *amen*, Promotor legit propositiones, quae sequuntur:

„ Expendendae proponuntur Venerabilibus Pa-
„ tribus praecipuae causae prolapsionis disciplinae
„ in Sacramento Poenitentiae. „

„ Ad quem statum ea redacta sit, breviter per-
„ spicietur. „

„ Instituetur sermo de eo, quod hominem pec-
„ catorem vere constituit, et de modo quem serva-
„ re solet cum ad iustitiam revertitur, et in quo
„ haec proprie consistat. „

„ Hinc de necessitate operum poenalium, sive
„ poenitentiae agendum erit, et quos opera huius-
„ modi in anima effectus pariant, et quantum ne-
„ cessaria sint. „

» Necessitas ministerii Sacerdotis proponetur,
„ ut Sacramentum completum perfectumque sit, et
„ quod intercedat discrimen inter iustificationem in
„ Lege gratiae, et Lege scripta; „

» Inde quaedam regulae practicae et distinctae
» deducentur. „

„ Postea sermo fiet de peccatis, a quibus
„ Christianus absolvi potest, et debet; „

„ De Confessione, et de huius Sacramenti for-
„ ma; „

» Denique de Indulgentiis, de Casibus reser-
„ vatis, de excommunicationibus, et suspensione. „

„ De Extrema vero Unctione expendetur pri-
» mo, utrum verum novi Foederis Sacramentum sit,
„ et simul de ipsius institutione disserendum erit. »

„ Inde transitus fiet ad explicandam huius Sa-
» cramenti naturam, essentiam, effectus, et necessi-
„ tatem. „

„ Tertio determinabitur ipsius Minister, et
„ tempus eidem recipiendo accommodatum. »

„ Postremo disseretur de obligatione et offi-
„ ciis Parochi, dum infirmis adsistit. „

„ Quod ad Ordinem spectat, agendum erit de
» huius Sacramenti institutione. Sermo deinde ha-
„ bebitur de antiqua disciplina in sacris Ministris eli-
» gendis, sive quod pertinet ad dotes in ordinandis re-
» quisitas, sive quod pertinet ad titulum ordinationis,
» et bonorum ecclesiasticorum distributionem. »

» Tum de causis, ex quibus orta est supra-
„ dictae disciplinae prolapsio. „

» Adiumenta ad eam restituendam aptiora pro-
» ponentur, quae ad singula indicata capita referun-
» tur. „

„ Hinc agetur de examine Clericorum, de ti-
„ tulo ordinationis, et de Beneficiorum collatio-
„ ne. „ „ De

„ De impedimentis canonicis, et de obligatio-
„ ne Pastorum circa populi instructionem, et alia
„ munera pastoralia. „

„ Tandem ad Matrimonium quod pertinet, de
„ ipsius institutione disseretur, eodem in singulis tri-
„ bus statibus considerato, per quos humanum genus
„ pertransivit „.

„ Hinc cum fuerit constitutum, in Lege Evan-
„ gelica Matrimonium et contractum esse, et Sa-
„ cramentum a Iesu Christo institutum, circa pro-
„ prium ipsius ritum sententia nostra exponetur. „

„ Expendetur deinde quomodo spectare possit
„ ad Principes ius apponendi Matrimonio impedi-
„ menta, quae dirimentia dicuntur; et quomodo
„ Tridentini Canones intelligantur, qui de iisdem
„ impedimentis agunt. „

„ Hoc viam nobis aperiet ad Piissimi, ac Sa-
„ pientissimi Principis nostri mentem sectandam,
„ quam in aliquibus ex 57. articulis ad Episcopos
„ Magni Ducatus transmissos expressit. „

„ Notatis postea contrahentium dispositionibus
„ et muneribus omnia concludentur indicando,
„ quaenam esse debeat Parochorum sollicitudo, ne
„ occasione Matrimonii iura naturae, et civilis So-
„ cietatis violentur, finesque obtineantur a Iesu
„ Christo propositi, cum illud ad Sacramenti di-
„ gnitatem elevavit „.

Patres, uti in antecedentibus Sessionibus fece-
rant, consilia et observationes suas cum Promotore
communicarunt, ut in Congregationibus intermediis
expenderentur: factoque tunc silentio primus a
Secretis consuetum ordinem servans, Sessionem V.
hisce verbis indixit:

„ Illustrissimus et Reverendissimus noster in
„ Christo Pater Scipio de Ricciis Pistoriensis et Pra-
„ ten-

„ tensis Episcopus huius S. Synodi Dioecesanae „ Praeses octavam horam matutinam proximae diei „ Lunae 25. Septembris pro futura Sessione assi- „ gnat. Vos omnes, ut interveniatis, exhortamur, „ non tantum ut res in hac Sessione propositae re- „ solvantur, quantum ut de iis agatur, quae ad „ publicas preces pertinent, ad vitam et honesta- „ tem Clericorum, ad methodum Collationum Mo- „ ralis Theologiae, et ad aliquas supplicationes R. „ Principi exhibendas. „

Huic Sessioni interfuerunt

Parochi		„	175
Capellani Curati		„	14
Canonici		„	14
Sacerdotes	Seculares	„	28
	Regulares	„	13
	Num.	„	244.

DE

DECRETUM
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

§. I.

Fuit quovis tempore necessaria Religio, quae per quaedam sensibilia signa hominem ad Creatorem suum erigeret, et in rerum invisibilium contemplatione detineret; siquidem verissime docet S. Augustinus, in nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coadunari homines posse, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligarentur, et eandem se profiteri Religionem mutuo ostenderent. Hoc vero post Adae lapsum longe magis necessarium fuit. Amissa primaeva innocentia, illaque interna iustitia, quae illum in statu felicitatis et pacis constituebat, aliis adiumentis signisque indiguit, quae ipsum in pristinum sanitatis statum aliquo pacto perducerent.

II. Haec signa seu sacramenta, quae praeter id, quod sensibus exhibent, in mente excitant ideam alterius rei, quam repraesentant, fidem in Christum Mediatorem respiciebant, cum qua illius, quam nobis statuto tempore promeriturus erat, iustitiae promissio coniungebatur. Hinc evidens est, haec sacramenta esse debuisse signa promittentia Salvatorem, et salutem, quam ipse erat allaturus.

III. Hinc et illos veri Dei cultores, qui ante le-

legem scriptam vixerunt, aliquod habuisse signum sensibile non dubitamus, quo spirituali filiorum suorum saluti consulerent, iisque fidem in venturum Mediatorem, cui soli adnexa erat iustitia, applicarent, credentium societati coniungerent, et ad divinas promissiones pertinere demonstrarent.

IV. Hoc signum, quo fidem in Mediatorem profiterentur, in lege per Moysen Hebraeis data apertius a Deo determinatum, praescriptumque fuit, immo et alia sacra signa, aut sacramenta ab ipso Deo fuere superaddita, ut membra, quibus Hebraicus componebatur populus, inter se fortius colligaret, distingueretque ab Idololatris, et per quae fides in Christum futurum Reparatorem clarius, et distinctius exprimeretur.

V. Cum vero haec omnia in Mosaica lege a Deo instituta Sacramenta, ad Iudaici populi statum proprie spectarent, cui iuxta S. Paulum quaecumque contingebant, figura erant et umbra futurorum in temporum plenitudine: ideo illorum vim et efficaciam in eo dumtaxat sitam fuisse credimus, ut fidem in hunc futurum Reparatorem, per quam solam iustitia poterat obtineri, protestarentur, et excitarent, ut quam ipse allaturus erat, gratiam praefigurarent, et quae complenda erant mysteria, imprimis passionem, mortem, et resurrectionem Redemptoris praenunciarent. Quae quidem futurorum imagines cum omnes fuerint adimpletae, et adveniente Christo gratia data fuerit mundo, credendum consequitur, sicuti et revera credimus, huiusmodi Sacramenta sublata fuisse et abrogata.

VI. Cum Ecclesia tamen Catholica profitemur, alia iis suffecta fuisse ab ipso Iesu Christo numero quidem pauciora, sed observatione faciliora, utilitate meliora, virtute praestantiora, quae pariter signa

gna essent publica, et sensibilia, per quae omnia magnae huius Congregationis, Ecclesiae scilicet, membra simul colligarentur; sacraque Iesu Christi Capitis nostri militia initiarentur; quae a Deo compositi nobiscum foederis, vitaeque sancte ducendae commonefacerent; quae denique nostram excitarent fidem, in divinis promissionibus fiduciam augerent, gratiam quam continent promitterent, et quam speramus, gloriam praenunciarent.

VII. Quapropter ex divina institutione novi foederis Sacramentis inesse profitemur vim, et virtutem conferendi gratiam quam promittunt iis, qui ut oportet dispositi eadem frequentaverint; et in hoc prorsus ab antiqui foederis Sacramentis distingui. Prima huiusmodi dispositionum ad obtinendam iustitiam fides est, iuxta sententiam Apostoli dicentis: *sine fide impossibile placere Deo*. Quae iustitia sic volente Christo per haec Sacramenta incipit, et caepta augetur, et amissa reparatur.

VIII. Sacris Scripturis innixi, praecipue vero Patrum Traditioni, et unanimi non solum omnium catholicarum Ecclesiarum particularium; sed et a nobis multis abhinc saeculis separatarum consensioni, expressae denique definitioni Sancti Concilii Tridentini, credimus, haec Sacramenta, sive instrumenta quibus uti voluit Christus, ut suam gratiam iustificantem nobis communicaret, non esse plura, nec pauciora quam septem: et ista iuxta ordinem, quo ab Eugenio IV. in suo Decreto pro instructione Armenorum, et a supradicto Concilio recensentur, dicimus esse Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, quorum tria, Baptismus nempe, Confirmatio, et Ordo, praeter sanctificantem gratiam, quae quatuor aliis communis effectus

est,

est, alterum peculiarem producunt etiam indigne suscipientibus proprium, characterem scilicet, seu signum illud spirituale et indelebile, quod in anima nostra imprimitur, unde fit, ut ea iterari non possint.

IX. De necessitate vero horum septem Sacramentorum confitemur, omnia quidem iuxta ordinem a Christo praescriptum, sed non aeque esse necessaria; et ex istis aliqua non singulis Ecclesiae membris, sed universo tantum eius corpori necessaria admittimus.

X. Credens eadem Sancta Synodus, peculiare cuiusque Sacramenti elementum, aliamque rem aut actum sensibilem, et propria quibus sanctificatur verba constituere Sacramenti essentiam et substantiam; credit quoque, non solum ab iis, quibus Sacramentorum administratio peculiariter commissa est, sed ne ab universa quidem Ecclesia rem sive elementum, et verba alicuius Sacramenti substantialiter immutari posse, quin ipsum destruatur: immo pro certo habet, neminem sine gravi peccato uti posse elemento dubio, nisi in administratione Sacramentorum absolutae necessitatis, quando certum elementum deesset.

XI. Quamvis Sancta Synodus noverit, Christianos omnes quodam sensu Sacerdotes esse, propterea quod spiritualia laudis, et gratiarum actionis sacrificia omnes offerre Deo possint et debeant, et quia licet non omnes in visibili Altaris Sacrificio Corpus et Sanguinem Iesu Christi consecrent, omnes tamen, qui eidem adsistunt, Agnum immaculatum offerunt; nihilominus credit, non omnes fideles visibile Iesu Christi Sacerdotium in ipsius Ecclesia constituere.

XII.

XII. Cum Sacerdotes in Sacramentorum administratione ipsum Iesum Christum repraesentent, quoniam ille proprie est, qui Sacerdotum ministerio baptizat, confirmat, etc., ideo Sancta Synodus credit, quoties signum pro quolibet Sacramento praescriptum rite observetur cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, validum esse Sacramentum, quamvis Minister aut fidem non habeat, aut coram Deo mortali culpa pollutus sit.

XIII. Tunc tamen novam gravemque culpam admittere Ministrum credimus, quia scriptum est: *sancta sunt sancte tractanda*. Hinc omnes, ad quos Sacramentorum administratio pertinet, hortamur, ut integram, castam, et irreprehensibilem agere vitam curent, ut semper parati esse queant, munere suo sancte defungi, praeceptum S. Pauli Tito traditum considerantes: *oportet Episcopum sine crimine esse*; ac Timotheo de Diaconis: *hi autem probentur primum, et sic ministrent nullum crimen habentes*.

XIV. Sicuti vero sancta sancte tractanda, nec profanationi exponenda sunt: ita Ministros admonens Synodus, ut in Sacramentorum administratione prompto, libentique animo, et solo christianae charitatis spiritu ductos se se exhibeant, simul etiam exhortatur, ut serio expendant, utrum in postulantibus Sacramenta requisitae dispositiones habeantur, ideoque ut Scripturas Sanctas continuo meditentur, et studio Traditionis incumbant, ut naturam quoque, indolem, et effectus eorumdem Sacramentorum magis magisque cognoscant.

XV. Tandem Sancta Synodus credit, sacras cerimonias, quas in administratione Sacramentorum adhibere semper Ecclesia consuevit, Diaboli inventum non esse: considerans vero, quod omnes insinuandae maiori in fidelibus venerationi erga eadem

Sacramenta, et ex ipsis plures eorum naturae, virtuti, et effectibus exprimendis, confirmandisque non paucis aliis fidei nostrae dogmatibus inserviant, certissime tenet, publicas, et approbatas aut ab universali, aut a propria et particulari Ecclesia cerimonias, contemni sine peccato non posse, nec privata auctoritate a quolibet immutari, aliasque substitui: unde excepto extremae necessitatis casu, praescriptos omnes, aut praescribendos ritus in novo huius Dioecesis Rituali a quolibet Ministro inviolate servandos esse decernit, eorumque significationem populo identidem explicandam.

DE-

DECRETUM

DE BAPTISMO.

§. I.

Cum omnes homines, docente Apostolo Paulo, in Adamo peccaverint, credimus, originalem maculam, quam quisque ex voluntate carnis et sanguinis conceptus contrahit, non ut speciem tantum infelicitatis et miseriae, sed ut veram mortalem culpam, et iniustitiam, qua homo natura sua irae iustaeque vindictae Dei filius efficitur, esse agnoscendam.

II. Et revera ab eodem Apostolo edocti respicimus mortem, non veluti naturalem hominis conditionem, sed veluti iustam culpae originalis poenam, sicuti et eiusdem peccati poenas esse credimus tot tantaque mala, quibus in hac vita humanum genus affligitur, et praeterea ignorantiam, cum qua nascimur, et concupiscentiam, quae nos ad peccatum compellit.

III. Quoniam vero Caelorum Regnum sanctitatis, et iustitiae Regnum est, in quod nihil admitti potest, quod sit vel minimum coinquinatum; et universa Sancta Scriptura in duas tantum classes omnes homines partitur, electos et reprobos, iustos et peccatores; et duas tantum denotat partes in finali iudicio, dexteram et sinistram, pro iustis primam, pro peccatoribus alteram: quoniam demum duo

dumtaxat indicat loca, ubi in aeternum maneant, nempe idem Caelorum Regnum ab aeternitate electis a Deo praeparatum; et infernum, ubi cum Diabolo et Angelis eius reprobi ardeant: ita tertium locum, ubi collocentur infantes cum solo peccato originali decedentes, ut fabulam pelagianam reiicimus.

IV. Verum si omnes homines in primo Adam spiritualiter mortui, et inimici Dei, et digni aeterna damnatione nascuntur; in secundo Adam, qui est Christus Iesus, qui pro totius mundi peccatis propitiationis victima factus est, vivificantur, et in ipso, et per ipsum renati ad perfectam adoptionem filiorum Dei admittuntur, eiusque haeredes, et cohaeredes Iesu Christi fiunt.

V. Haec spiritualis regeneratio Sacramenti Baptismatis opera perficitur, quod ideo dictum est *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*. Quare quisquis hoc Sacramento privatur, filiorum adoptivorum Dei destitutus charactere, qui indelebili modo in anima baptizati imprimitur, haereditatis Regni caelestis particeps esse non potest: ad corpus Iesu Christi, quod Sancta Ecclesia est, non pertinet, alterius Sacramenti incapax est, nec de Sanctorum communione participat. Hinc Baptismum primum esse omnium Sacramentorum, et prae ceteris necessarium colligitur.

VI. Docet tamen Ecclesia catholica, eos per proprium sanguinem spiritualiter baptizari, qui cum hoc Sacramentum recipere nequeant, pro Iesu Christi confessione moriuntur. Eiusdem pariter Matris, et Magistrae nostrae doctrina est, in adultis absoluta necessitate constrictis Sacramenti Baptismi defectui ipsius votum supplere, quod cum viva fide in unicum Mediatorem nostrum Iesum, et cum

per-

perfecta peccatorum actualium contritione ab ardentissima charitate producta coniungatur.

VII. Si summa Baptismi necessitas consideretur, quam gravis illorum parentum ceterorumque culpa sit, intelligitur, qui ut mundanam interdum pompam exhibeant vel ipso tempore, quo filios suos ad Ecclesiam ferunt, ut solemniter pompis omnibus nuncium remittant, per plures dies baptismum differre non dubitant. Quare statuit Sancta Synodus invigilare Parochos oportere, ut Baptismus recens natis intra horas 24., si fieri potest, administretur: et sicuti, cum occasione Baptismatis, parentes, cognati, et amici exultant in Domino et laetantur ea commoti cogitatione, quod sibi dilectus infans a potestate tenebrarum per ipsum erutus sit, usum hunc commendare non desinit, ita quidquid in officioso hoc comitatu luxum, cupiditatem, dissipationem, et intemperantiam sapit, eadem Sancta Synodus reprobat et condemnat.

VIII. Ut autem omnis tollatur differendi causa, et Parochis unum ex hierarchicis ipsorum officiis restituatur, in unaquaqne Paroecia proprium aderit Baptisterium: ibique dumtaxat Baptismum administrare licebit iuxta sacros canones, praesertim vero iuxta generalis Concilii Viennensis decretum, in quo excepto mortis periculo, quod puero immineat, ab universali regula soli Principum filii excipiuntur.

IX. Cum vero misericordiarum Patri placuerit, ut tam necessarii Sacramenti, sicuti communissimum est elementum, aqua scilicet naturalis, ita imminente mortis periculo, unusquisque possit esse minister: Parochorum erit munus populum suum instruere tam de partibus Sacramentum constituentibus, quam de ordine, qui iuxta sacros canones inter plures diversi sexus et gradus, qui eo in casu

adesse poterunt, servandus est; sicuti et illum admonere de praecepto, quod instat, puerum, sublato periculo, ad Ecclesiam transferendi, ut ceterae cerimoniae suppleantur, quae licet Sacramento essentiales non sint, tamen ab antiquissimis Ecclesiae saeculis praescriptae sunt, et religiose observatae. Denique diligenter monebunt, tantam esse oportere quantitatem aquae, ut vere dicit possit ablutio aut capitis, aut, si hoc fieri nequit, alterius praecipuae partis infantis, quae extra maternum uterum prodeat, non vero levis aspersio; atque ut haec omnia observentur, quemadmodum in Ritualis Romani instructionibus praescribitur.

X. Cum non raro contingat, ut Sacramentum hoc ab obstetricibus administrandum sit, ideo Princeps exorandus est, ut legem ille generalem faciat, qua ad obstetricis officium nullam faeminam admitti posse praescribat, de cuius scientia, quod pertinet ad ea, quae in articulo praecedenti exposita sunt, proprii Parochi testimonio non constet. Parochorum pariter munus erit, illas admonere, aliquando pueros apparenter tantum mortuos nasci; ideoque cum evidentia corruptionis signa non videant, ipsas teneri, ut aliquam erga foetus diligentiam adhibeant, ut, si fieri possit, Statui cives, Sanctaeque Ecclesiae per Baptismum filiis conserventur.

XI. Quamvis ut dictum est summopere necessarius Baptismus sit, Ecclesia tamen publici ordinis amantissima, et omnis inimica violentiae, tam filios hebraeorum et gentilium sine parentum consensu, quam adultos invitos, nec praemissis de quibus disseremus experimentis, prohibet baptizari.

XII. Neque sub indicatae necessitatis praetextu illos baptizare permissum est, qui a christianis parentibus nati, in christiana regione christiano modo semper vixerunt, quamvis de ipsorum baptismate memo-

moria nulla habeatur; cum ex una parte, nisi evidenter contrarium constet, baptizatos illos fuisse praesumendum sit; ex altera vero sacrilegium sit Sacramentorum characterem imprimentium iteratio. Cum autem prudens orietur dubium, utrum aliquis, aut saltem valide baptizatus sit, antiquis canonibus adhaerere non dubitamus, qui nulla conditionalis formulae facta mentione, quod prudenter factum esse ambigitur, iteratum censeri non debere decreverunt.

XIII. Interest ergo quam maxime, ut Parochi baptizatorum codicem habeant; ideoque illum accurate conficient, et iuxta vigentes leges (1) quotannis ipsius exemplar Cancellariis exhibebunt. Nec unquam, ut praeteritis temporibus, cum gravi pauperiorum damno, nostrique sancti ministerii vituperatione contigit, cuilibet, cum opus fuerit, nativitatis suae testimonium denegabitur, cum ad huiusmodi testimonia exhibenda gratis et ex solo charitatis officio paratos esse oporteat (2).

XIV. Dogma fidei est, spiritualem regenerationem, quam Baptismus operatur, tam in parvulis, quam in adultis recte dispositis, aeque esse perfectam: huiusmodi autem non censeretur, nisi praeter originale peccata actualia, omnemque per haec promeritam poenam adultis remitteret, et animam illis repleret gratiae donis quibus ille plane distinguitur, qui ex diaboli membro vivum Iesu Christi membrum, et Sancti Spiritus templum efficitur.

XV. Inter dispositiones, quae in adultis requiruntur, ut Baptismum digne suscipiant, duae sunt

 prae-

(1) Vide Append. n. II.
(2) Vide Append. n. III.

praecipuae, nempe fides, sine qua impossibile est placere Deo, et peccatorum actualium dolor, qui ex principio amoris dominantis Dei, ut omnis iustitiae et sanctitatis fontis, originem trahat.

XVI. Quapropter si quando adultus baptizari quaerens se offerat, Episcopum monere Parochi curabunt, et ipso assentiente illum ad Catechumenatum admittent, ut de principalibus fidei articulis, praeceptisque Evangelii et Ecclesiae diligenter instruatur. Cum vero de Catechumeni scientia, veraque conversione certiores fuerint facti, praevia Episcopi venia, illum ad Baptismum diebus, qui praescribentur, admittent, curantes, ut albam vestem per totam octavam retineat, quae nunc etiam Neophitorum causa veluti laetitiae tempus in Ecclesia consideratur.

XVII. Cum igitur homo per Baptismum nova fidei creatura, Deique domesticus, Sanctorum civis, et vivum Iesu Christi membrum efficiatur: cum inter lucem et tenebras, inter Christum et Diabolum, mundum eiusque vilissima desideria, inter Spiritum Sanctum et carnem societas esse non possit; qualem sacrorum Pastorum curam esse oportebit, ut fidelis populus professionis suae dignitatem, et obligationes in eo vitae lavacro contractas perfecte intelligat?

XVIII. Cum itaque augustae, quae Baptismum praecedunt, et sequuntur, cerimoniae ad eum finem directae sint, ut iustam christianae professionis, et obligationum nostrarum ideam conferant; cumque experimento compertum sit, instructionem illam, cuius obiectum praesens habeatur, prae ceteris esse efficacissimam; hac de causa, et simul etiam ut iustum exhibeatur obsequium venerabili apostolicorum temporum disciplinae, opportunum vi-

videretur, ut non solum Catechumeni, si qui essent, sed etiam omnes nati post diem Iovis Sabbatho Sancto, et Pentecostes proximam, in urbanis Paroeciis ad Cathedralis Baptisterium post benedictionem fontis baptizandi deferrentur, et tunc temporis Parochus easdem cerimonias adstantibus explicaret, observare non omittens, Sanctos Patres, praesertim vero magnum Augustinum, iisdem veluti armis fortissimis usos fuisse, ut de haeresi triumpharent. Eadem explicatio breviter et perspicue facienda erit, quoties per annum in Baptismi administratione sufficiens populi concursus conspicietur. Baptizati vero in Cathedrali tam in Cathedralis, quam in propriae Paroeciae codice censebuntur, loco suscepti Baptismatis indicato.

XIX. In Paroeciis ruralibus Parochus quilibet in proprio Ecclesiae suae Baptisterio benedictionis fontis solemnem ritum perficiet.

XX. Usque a Tertulliani temporibus mentio facta invenitur illorum, qui Catechumenos puerosve sacro fonti Ecclesiae nomine offerebant, et de ipsorum fide, et observantia munerum, quae christianae professioni adnexa sunt, veluti sponsores et vades se se exhibebant. Hanc igitur tam antiquam consuetudinem approbat Sancta Synodus, statuit tamen, ut a Patrinorum officio ii omnes excludantur, qui aut propter aetatem, ut impuberes, aut propter professionem, ut Ecclesiastici cum Regulares tum Saeculares, aut propter ignorantiam, vitamve scandalosam, ut publici peccatores, incapaces et indigni sunt, qui in christiana pietate spirituales filios dirigant.

XXI. Spiritui pariter Sanctae Ecclesiae a generali Concilio Tridentino repraesentatae obsecundare existimamus, cum masculos patrinum solum, foeminas

solam matrinam habere praescribimus: nec a puriori antiquitatis disciplina dissonum foret, si patrini inter viciniores genitorum consanguineos eligerentur.

XXII. In more quoque positum est, ut recens in sancto Baptismate natis nomen imponatur, non solum ut in civili societate quilibet distinguatur: verum etiam ut unusquisque christianus in eo, cuius nomen refert, christianae virtutis exemplar imitandum habeat.

XXIII. Et ideo Sancta Synodus generatim veluti abusum considerans in privatis hominibus nominum multiplicitatem decernit, ut primum saltem praecipuumque uniuscuiusque nomen non profanum, aut ridiculum, aut indecorum sit, sed nomen referat alicuius insignis viri ab Ecclesia in Sanctorum canone inscripti.

XXIV. Quod vero ad purificationem post partum pertinet, quamvis a cerimoniarum iudaici populi iugo per Iesu Christi gratiam liberati fuerimus, nihilominus, si puerperae ad Mariae semper Virginis imitationem ad Ecclesiam, se contulerint consuetam a Parocho benedictionem accepturae, illis Parochus benedicet. Caveat tamen ne in foeminarum mentibus aliqua superstitio aut error delitescat.

DE-

DECRETUM
DE CONFIRMATIONE.

§. I.

Cum probe nosset Iesus Christus Redemptor noster, quanta sit post Adae lapsum hominis imbecillitas et infirmitas, nisi gratia sua in omnibus actibus et periculis, quibus exponi potest, iuvetur et sustentetur; cum praevideret etiam, sui sancti nominis suaeque doctrinae inimicos, inter quos ipsum vivere oportebat, nihil praetermissuros, quo ipsum sibi suoque Evangelio cogerent renunciare; eadem affectus misericordia, qua Sacramentum Baptismi instituerat, aliud praeterea adiumentum ipsi relinquere voluit, per quod contra omnes Daemonum, mundi, et carnis conatus ad fidem deserendam impellentes, in ipsa fide stabilis permaneret, et roboraretur.

II. Adiumentum hoc nos illud esse fatemur Sacramentum, quod generatim Baptismi perfectio et complementum a Patribus appellatur, et quod nunc communiter vocatur Sacramentum Confirmationis, quia adaucta per hoc in nobis gratia et charitate, animae nostrae vires pariter crescunt, et in suscepta Iesu Christi fide firmiores efficimur, ideoque ad pugnandum promptiores, et magis idonei ad illos hostes vincendos, qui nos impellunt, ut fidei valedicamus.

III.

III. Hoc non simplicem cerimoniam esse credimus ad Baptismum pertinentem, sed verum et proprie dictum novi foederis Sacramentum, cuius institutionem ex pluribus novi Testamenti locis colligimus, clarius vero ex capite 8. Actuum Apostolicorum, ubi legitur; *cum audivissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quempiam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini: tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*.

IV. Hoc Spiritus Sancti nomine, non externas tantum gratias intelligimus, ut Pseudo-reformati contendunt, nempe donum praedicendi futura, variis loquendi linguis ignotis, et cetera, quae ab Apostolo Paulo in prima sua ad Corinthios epistola cap 12. numerantur: sed gratiam praecipue interiorem designari credimus, gratiam luminis, et voluntatis, quae hanc saniorem reddat, et robustiorem. Nam et sacrae Scripturae testantur, Apostolos, accepto Spiritu Sancto, non solum recensitis donis exterioribus instructos fuisse, sed etiam cum antea in confitenda Iesu Christi fide timidi essent ac trepidantes, illico fortissimos extitisse, et imperterritos sui nominis, suique Evangelii promulgatores: et Sancti Patres Cyprianus, Augustinus, Ioannes Chrysostomus, aliique, quorum aetate huiusmodi exteriores gratiae a fidelibus in manuum impositione receptae cessaverant, docent, per impositionem manuum suarum ceterorumque Episcoporum collatum fuisse credentibus Spiritum Sanctum.

V. Ex eodem capite 8. Actuum Apostolicorum colligimus et docemus, partes Sacramentum Confirmationis constituentes, sive ritum illum sensibilem

a Iesu Christo institutum, ut necessariam nobis gratiam communicaret, qua eiusdem sancti nominis inimicis resisteremus, in manuum impositione, ipsique adiuncta oratione consistere.

VI. Sacri Chrismatis unctio, quam vel a Tertulliani tempore usurpatam conspicimus, nostro quoque iudicio absolute retinenda est, utpote aptissima ad indicandam fidelibus unctionem intrinsecam, quam in anima nostra gratia per manuum impositionem, eique coniunctam orationem communicat operatur, et ad designandas vires, quas eadem gratia voluntati nostrae suppeditat, ut quaslibet res adversas ob Iesu Christi amorem tolerare queat.

VII. Pariter cum Sanctae Scripturae Novi Testamenti, ubi de Confirmatione loquuntur, tanquam huius Sacramenti ministros Apostolos ubique et constanter exhibeant, et cum aliunde nullum esse dubium possit, Apostolos omnes Episcopos a Iesu Christo fuisse constitutos; ideo persuasi sumus, Confirmationis administrationem ad Episcopos certo pertinere.

VIII. Cum Sacramentum Confirmationis, ut supra diximus, sit Baptismi perfectio et complementum (quoniam si per Baptismum Iesu Christo Capiti nostro nomen damus, et ipsius militiae adscribimur; per Confirmationem arma spiritualia suppeditantur, quibus sub eodem Iesu Christo contra nostros eiusque inimicos decertamus) evidens et compertum est, illum unice Confirmationis esse capacem, qui Baptismum susceperit.

IX. Tribus primis Ecclesiae saeculis, cum frequentes in Christianos essent persecutiones, hoc Sacramentum etiam pueris vix baptizatis conferre Episcopi cogebantur, ut hoc pacto, statim ac ad usum rationis pervenissent, iis instructi viribus es-

essent, quas contra christiani nominis hostes idem subministrabat.

Obtinuit isthaec consuetudo per aliquod tempus etiam post datam Ecclesiae pacem; sed postea in Ecclesia latina considerari coepit, eo maiorem fideles consecturos utilitatem, quo maiori cum cognitione, et maioribus dispositionibus actualibus ad hoc Sacramentum accederent. Ob varias circumstantias trium primorum saeculorum praxis identidem revocata, et teneris etiam infantibus, licet eadem non adesset ratio, Confirmatio administrata fuit. Aliqui tamen ecclesiasticae disciplinae restauratores non defuere, inter quos S. Carolus, qui ostenderunt, quantum eidem conveniens esset, eos tantum ad hoc Sacramentum admittere, qui rationis usu pollerent, maiorem inde utilitatem percipi posse considerantes, si cum cognitione susciperetur.

X. Et nobis itaque conveniens videtur, ad Confirmationem non admittere baptizatos, antequam rationis usum attigerint, exceptis particularibus casibus, praecipue vero si infans periculose infirmetur: tunc enim considerandum est, infantem illum, si sine Sacramenti Confirmationis gratia decederet, eo gloriae gradu, qui gratiae necessario respondet, cariturum esse.

XI. Quamvis pro certo habeamus, etiam sine hoc Sacramento hominem consequi posse vitam aeternam, cum etiam sine hoc iustus esse queat; eorum tamen sententiam reiicimus, qui eiusdem desiderandi et suscipiendi nullum praeceptum tam divinum quam ecclesiasticum cognoscunt. Idcirco teneri singulos adultos dicimus tum divina tum ecclesiastica lege, ut quolibet tempore confirmari curent, tunc vero magis cum Episcopus prope est, et ad Confirmationem aliis administrandam paratus; ma-

gis

gis vero etiam urgere praeceptum, si quis periculosa infirmitate decumberet, aut si aliqua in christianos persecutio excitaretur.

XII. Non est dubitandum, quin teneantur patres et matres, tutores, et domini proprios sibi subditos monere et sollicitare, si negligentes sint, ut Confirmatione donentur. Trium annorum poenitentia, quae iis parentibus imponebatur, quorum incuria contingeret, ut sine hoc Sacramento ipsorum filii morerentur, hoc invictissime demonstrat. De hoc igitur munere illos Parochus admonebit.

XIII. Prae ceteris vero tenetur Parochus ipse suos, quos hac in re noverit negligentes, paroecianos exhortari, et excitare, ipsorum sub oculis ponens canonicas poenas a Concilio Rhemensi adversus eos sancitas, quos nulla huius Sacramenti suscipiendi tangit sollicitudo, tum spiritualia commoda, quibus ii voluntarie privantur, ac demum pericula, quibus exponuntur, qui a tot undique hostibus circumsepti, iis viribus instrui per Confirmationem negligunt, quibus ipsorum impetus repellantur. Quapropter populum suum hac in re instruere Parochus non cessabit, nec quidpiam praetermittet, ut ad Confirmationem suscipiendam semper dispositi sint; tunc vero maxime hac de re sollicitus erit, cum Episcopus Confirmationis in ipsius paroecia aut vicinis administrandae diem decreverit.

XIV. Tunc frequentiores esse oportebit ipsius instructiones, in quibus de iis, quae scitu necessaria christiano sunt, disseret, praesertim vero in iis versabitur, quae ad hoc Sacramentum directe spectant, eius naturam atque virtutem modo facili, et omnium captui accommodato exponens, et adnotare satagens, quod praeter Spiritus Sancti gratiam, quae cum ceteris eiusdem divini Spiritus donis animae

no-

nostrae communicatur, eamque contra omnes nostrorum hostium tam interiores, quam externos impetus roborat, etiam characterem, uti Baptismus, imprimit, sive signum quoddam spirituale, et indelebile, quo fit, ut nonnisi semel recipi queat. Tandem et sacrarum cerimoniarum, quae in eius administratione observantur, sensum explicare non omittet.

XV. Praecipue vero in exponendis dispositionibus immorabitur, quae necessariae sunt, ut digne quis ad hoc Sacramentum accedat. Itaque cum ideo fuerit instituta Confirmatio, ut nos in christianae fidei legisque professione firmiores redderet, et charitatem in nobis augeret atque perficeret, vitam animae in eo, qui Confirmationem suscipit, inesse oportere docebit. Quare si qui essent inter paroecianos suos, qui baptismalem innocentiam usque ad id temporis non conservassent, illos mature curabit disponere, ut poenitentiae Sacramentum recipiant, quo iustitiam consequantur.

XVI. Statuta autem die appropinquante Parochi munus erit confirmandos admonere et exhortari, ut orationi instent frequentius, et die saltem praecedenti per ieiunium qui possunt, ceteri per aliquam abstinentiam se praeparent exemplo Apostolorum, qui Spiritum Sanctum expectantes in oratione et ieiunio perseverabant.

XVII. Absoluto Sacramenti ritu confirmatos Parochus hortabitur, ut septem ipsos dies in pietatis operibus, et gratiarum actionibus propter dona caelestia in hoc Sacramento acquisita se se exerceant, eamque diem, qua gratiarum huiusmodi participes facti sunt, iisdem peculiaribus pietatis, et charitatis christianae officiis quotannis notent et celebrent.

DE-

Google

DECRETUM
DE EUCHARISTIA.

§. I.

Cum nulla erga Deum religio sit, neque vita et salus sperari ab homine possit nisi in illo, qui novi foederis Angelus constitutus aeterni Pontificis officio fungitur, nostraeque salutis auctor et consummator est; ex Dei Patris Omnipotentis consilio provisum fuit, ut idem usque ad consummationem Sanctorum inter homines habitaret, unde eidem coniuncti de vita ipsius vivere possent, atque hoc per ritum quemdam sensibilem, ut hominum natura exigit, perficeretur. Hoc in Eucharistiae institutione factum est. In ultima coena Dominus noster accepit panem, suoque Patri gratias agens benedixit, fregit, deditque Apostolis dicens: accipite et manducate, hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur. Dehinc accepto calice iterum Patri gratias agens benedixit, et distribuit dicens; bibite, hic est Sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur. Denique ad Apostolos ipsos conversus, quos tunc novi foederis Sacerdotes instituebat, iisdem, et eorum in Sacerdotio Successoribus praecepit, ut ritum hunc continuarent, dicens: hoc facite in meam commemorationem.

His innixa verbis haec Sancta Synodus in Spiritu Sancto congregata catholicam fidem, quae ad ritus

eucharistici naturam spectat, expositura est. Et primum profitetur, se cum Ecclesia universali credere, panem triticeum, et vinum ex fructu vitis expressum huius elementa constituere.

De pane, licet Orientalem Ecclesiam fermentato utentem non damnet, morem tamen Ecclesiae Occidentalis azymum adhibentis retinendum esse statuit; sicuti et circa eiusdem panis quantitatem et figuram communem amplectitur consuetudinem.

Apostolicae deinde Traditioni per canones, et Ecclesiae praxim confirmatae adhaerens, modicam aquam cum vino commiscendam esse credit; atque ad spiritum aedificandum idoneam approbat considerationem mysticae illius significationis per huiusmodi mixtionem repraesentatae, quam post aliquos Patres Liturgia nostra declarat. Ceterum etiam sine aqua vinum consecratum arbitratur, ideoque iuxta Ecclesiae Occidentalis usum statuit, expleto iam consecrationis ritu in solo vino, non esse a Sacerdote aquam in calicem infundendam.

Nullum autem declarat Synodus ritum super haec elementa perfectum, siquidem fuerint adeo immutata atque corrupta, ut naturalibus ipsorum qualitatibus spoliata iudicentur, eosque ut peccati reos condemnat, qui iisdem non integris uterentur.

Quod ad ritum pertinet consecrationis, hanc per repetitam Iesu Christi actionem, et verba perfici existimamus, et iuxta Liturgiae nostrae instituta retinemus, vix prolatis Christi Domini verbis consecrationem esse perfectam.

Denique quod pertinet ad Ministros, credimus illos esse, quibus dictum fuit: hoc facite in meam commemorationem: nempe Apostolos, et eorum in Sacerdotio successores Episcopos, aliosque per sacram Ordinationem creatos Sacerdotes; et contra hac-

haereses haec dogmata impugnantes iam prolatam a Patribus et ab Ecclesia condemnationem renovamus.

II. Quod ad huius ritus efficaciam pertinet, ut fidei catholicae dogma credimus, post panis et vini consecrationem, Christum verum Deum et hominem sub illarum rerum sensibilium speciebus vere, realiter; et substantialiter contineri, et quicumque dixerint, contineri tantum in signo, in figura, et in virtute, eos cum Ecclesia damnamus.

Praeterea veluti eiusdem fidei articulum retinemus, tunc omnem panis vinique substantiam cessare, speciebus solis manentibus, et totum Iesum Christum in hoc Sacramento sub qualibet specie, et sub cuiuslibet speciei parte quacumque separata contineri, et tanquam fidei contrariam illorum sententiam damnamus, qui elementorum substantiam una cum Christi corpore et sanguine permanere contendunt.

In quaestionibus autem scholasticis de modo, quo sub hisce speciebus Christus existit, de earumdem specierum indole, aliisque similibus, opportunum Synodo videtur, iuxta Patrum morem atque doctrinam, nullatenus Parochos versari oportere, immo nec illas proferre, sed cum simplicitate haec mysteria retinere, et docere, curantes, explicatâ divini erga homines amoris omnipotentiâ, firmam in haec mysteria fidem in populi cordibus vivificare et accendere.

Iubet vero, ut maximam adhibeant diligentiam in dispellenda a fidelium mentibus praeconcepta quacumque idea, quae in hoc mysterio vile quid sapiat et materiale, ut illos doceant, Christi corpus non esse animali corpori comparandum, sed spirituale esse, et vivificum, et in Eucharistia reperiri non modò

ceteris corporibus naturali, sed modo quodam supernaturali, et spirituali, quem licet verbis nequeamus exprimere, cogitatione tamen per fidem illustrata Deo esse possibilem intelligimus.

Ex hactenus positis articulis primum consequitur, Eucharistiam esse Sacramentum, quoniam ipsa Iesum Christum continet, qui nobis gratia, vita, et salus factus est, eumque sub signo exteriori continet, nempe sub speciebus panis et vini, quae spiritualem animae cibum et convivium repraesentant. Secundo, hoc Eucharistiae proprium esse, et singulare, dum Sacramenta alia in ipsorum usu virtute sanctificandi praedita sunt, in Eucharistia etiam extra usum ipsum sanctitatis Auctorem reperiri: quippe cum Ecclesia credimus post consecrationem ante et post usum eius etiam in particulis post communionem reservatis Iesum Christum inveniri, donec species corruptae prorsus fuerint et immutatae. Et contrarium sententes Heterodoxos iterum condemnamus.

Quod vero spectat ad indicatam Eucharistiae conservationem, veteres canones renovare placet, quibus statutum erat, tot dumtaxat particulas conservandas esse, quibus pro infirmorum usu, gravique urgente necessitate opus esse poterit.

III. Cognita huius Sacramenti natura, cognoscimus et confitemur, Christum, qui in eo continetur, latriae cultu esse adorandum. Et sicuti Ecclesia, ut hunc exprimeret cultum, ab aliquibus saeculis solemnis expositionis usum, et Sacramenti in publicis processionibus in festo Corporis Domini delationem invexit, ita nos usum hunc uti pium et religiosum amplectimur, et iustas sanctasque esse causas institutionis huiusmodi confitemur.

Considerans autem Synodus, fidelium pietati ac fervori, et debitae erga hoc Sacramentum vene-

ra-

rationi magis consultum iri, si usus exponendi illud in Ostensorio, et in publica processione deferendi in sola Festivitatis illius Octava restitueretur, hunc revocandum statuit, morem dumtaxat retinens, qui in Cathedrali Ecclesia obtinet, illud semel in mense exponendi; et decernit, ut diebus dominicis, aliisque festis solemnibus ad ipsius adorationem populus congregetur, quin tamen e loco, in quo residet, extrahatur; atque ut Parochus data cum pixide clausa benedictione hanc adorationem absolvat.

Circa modum vero in huiusmodi celebrandis ritibus retinendum, instituta iam usu recepta (1), veluti Synodales leges, amplectimur; id solum praeterea desideramus, ut Sanctorum Litaniis eae, quae Christi sunt, surrogentur (2).

IV. Exposita catholicorum fide circa Eucharistici Sacramenti naturam, realem Iesu Christi praesentiam, ipsique debitum cultum, sublimes illius actionis characteres explicabimus, in qua isthaec mysteria a Christo instituta sunt, et unde ab Ecclesia repetuntur. Ac primum actionem ipsam verum esse Sacrificium cum Ecclesia catholica profitemur; et quidem illud, quod sub lege naturae, et sub lege Moysis per varias sacrificiorum imagines praefiguratum fuit, quod utpote illorum consummatio et perfectio omnia, quae ab ipsis significabantur, bona complectitur, proindeque tale, quo non solum Divinitati debitus honor, laus, et benedictio, et gratiarum actio pro beneficiis hominum filiis misericorditer elargitis impenditur, sed in quo et vera pec-

(1) Vide Append. n. IV. V. VI.
(2) Vide Append. n. VII.

catorum remissio, et debita divinae iustitiae satisfactio continetur; et ideo anathemata renovamus, quibus Heterodoxorum errores his veritatibus repugnantes ab Ecclesia damnati fuerunt.

Naturam autem huius Sacrificii expendentes, nullatenus a Sacrificio Crucis seiunctum hoc, aut diversum esse testamur, cum eadem in hoc victima ab eodem Sacerdote, nempe Iesu Christo, offeratur; et quamvis partes omnes contineat, quae veri Sacrificii essentiam constituunt, oblationem scilicet, et veram ac realem immolationem, ab illo tamen non nisi in modo offerendi distinctum est, quia nempe sine sanguinis effusione perficitur. Hinc nullam Sacrificio Crucis per hoc irrogari iniuriam confitemur; quoniam diversitas modi non solum Sacrificii novi foederis unitatem non destruit, sed illam potius conservat; inde etenim fit, ut eadem victima immoletur. Et sane si Iesus Christus post resurrectionem suam incorruptibilitate donatus amplius non moritur, aut cessare Sacrificium oportebat, quod sine actuali victima perfici nequit, aut immolationem institui, quae ab immolatione Crucis quodammodo dependeret, ab illa tamen esset distincta; quoniam vero haec immolationis species nostrum superat intellectum, hunc in sincerum obsequium fidei erga tantum mysterium captivamus, et omnem, quae in hac fide occurrere posset, difficultatem in Eucharistiae institutione a Christo sublatam fuisse cognoscimus. Vivebat siquidem ipse; nihilo tamen minus mortis suae Sacrificium obtulit, et novi foederis Sacrificium, quod nondum morte obsignaverat, proprio sanguine confirmavit.

Cum vero nostrae Religionis institutor nos doceat, veros adoratores in spiritu et veritate Deum adorare, Eucharistiae Sacrificium natura sua spiri-

ri-

rituale esse credimus; et quidquid visibile et externum est, veluti signum, et Sacramentum veri et invisibilis Sacrificii cum S. Augustino consideramus: nimirum non carnalem victimam, sed spiritualem et incorruptibilem, Corpus videlicet Iesu Christi, in ipso consummari credimus igne charitatis Spiritus Sancti, per quem Pater illam sanctificavit, verumque Sacerdotem esse Iesum Christum, qui Patri semetipsum offert. Ab hoc perenni Sacrificio omnes gratiarum, et benedictionum caelestium divitiae ad nos derivant.

V. Ceterum huius Sacrificii Sacramentum, quippe a Christo institutum, et naturae nostrae conveniens, veneramur. Licet enim prae Iudaica lege spiritum et veritatem lex nova contineat; donec tamen aedificium, quod in Christo Iesu constructum est, in perfectum Dei templum excreverit, et nos mortalitate spoliati fuerimus, sub symbolis et aenigmatibus dona spiritualia possidemus, nec ea facie ad faciem possumus aspicere. Praeterea etiam ex eo Sacramenti huius utilitatem recognoscimus, quod Christiani in actione Sacrificii cum illa victima uniri debent; credimus enim Sacrificium Iesu Christi cum Sacrificio coniungi totius redemptae civitatis, quae cum Capite suo in sanctum Dei templum veluti holocaustum ingreditur, et cum Patribus confitemur, hoc essentialiter fieri in Altaris Sacrificio propter eam, quae per ritus sensibilis signum exhibetur, fidelium cum victima coniunctionem.

Quod vero ad hunc ritum externum pertinet, imprimis Missae Canonem iam a multis saeculis introductum approbamus; in illo etenim omnes veri Sacrificii partes exprimi, nullumque errorem, immo nihil quod sanctitatem et pietatem non spiret, conti-

tineri cognoscimus; et simul etiam ceteras Liturgiae praesentis ordinarias partes admittimus.

Praecipit autem Synodus, ut omnes cerimonias, ritusque praescriptos Sacerdotes diligenter observent, omnia verba distincte et devote proferant; nec actus accelerent, nec nimia et adstantibus incommoda tarditate utantur.

De organorum sonitu statuere opportunum Synodo videtur, ut Missarum tempore ab *Offertorio* usque ad *Postcommunionem*, excepto tempore *Praefationis*, sileant.

Considerans vero Synodus, musicam et cantum in Ecclesiis ideo a Patribus fuisse adoptatum, ut religionis sensus in fidelium cordibus fortius insinuaret, et varios, quos cantus exprimit, affectus pietatis accenderet; et simul expendens ad hunc finem obtinendum musicam simplicem, gravem, modestam, piam, et verborum sensui accommodatam esse oportere, his spoliatam dotibus musicam vetat.

Quamvis Sacrificii nostri natura nullum peculiarem exigat locum, qui in veteri lege praescriptus erat, iuste tamen Patres nostri decrevere, ut exceptis necessitatis casibus, in locis ad hoc electis offerretur: persuasi etenim erant, maiori cum decore in his mysteria peragi, et fideles aliorum, qui ibi adunantur, exemplo, rerum ordine et apparatu ad venerationem et pietatem excitari. Ut autem hoc consequerentur, quidquid devotioni esse posset obstaculo, uti profanos negotiationis actus, saeculares conventus, vanas sermocinationes, deambulationem, strepitum ab Ecclesiis removerunt. Haec igitur et nos decreta approbamus, et quoniam pauperes in Ecclesiis vagantes fidelium orationem turbare solent, ne deinceps in ipsis stipem quaeritent, providendum esse credimus, ut impediatur.

De

De ornatu Ecclesiarum Synodo placet, hanc S. Augustini regulam retineri, nempe ut in Religionis exercitio ita res humanae usurpentur, *ut inferioribus non offendamur, solis autem oblectemur superioribus*. Quam ob rem deordinationem omnem, sordes, et rusticitatem, quae ad risum movet, et offendendo sensus spiritum a devotione distrahit, evitandam decernit, sicuti et nimis varium, et pretiosum, aut nimis studiose conquisitum ornatum prohibet, quia sensus allicit, et in rerum sensibilium delectationem animum abripit. Has abusiones condemnaverunt Patres, quorum sententiae aetate nostra in quadam christiana instructione (1), quam nos hac in parte amplectimur, ab Archiepiscopo Salisburgensi productae fuerunt.

De altaribus autem quidpiam deliberare volens Sancta Synodus non abs re esse iudicat haec sequentia decreta statuere.

Cum divinorum Officiorum ordo, et antiqua Ecclesiae consuetudo persuadeant convenire, ut in quolibet templo unicum altare habeatur, usum hunc placet Synodo restituere.

Super altaria nec sacrarum Reliquiarum thecae, nec flores reponantur, et si quae Ecclesia authenticas reliquias possidet, istae sub altari iuxta vetustum morem venerationi populi exponantur.

Optans autem Synodus, ut hoc Sacramentum in loco ad fidelium attentionem et reverentiam excitandam aptiori retineatur, antiquum morem erigendi in altum ciboria, et in ipsis Sacramentum conservandi renovare statuit, et in eo loco, ubi repositum fue-

(1) Vide Append. n. VIII.

fuerit, nullam nisi Sacramento analogam picturam permittit.

VI. Si Religio quidem in Sacrificio constitit, et unicum in novo foedere Sacrificium agnoscitur, etiam fideles eiusdem sacrificii participes fieri confitendum est.

Hinc morem et legem apostolicam amplectimur diebus dominicis aliisque festis ab Ecclesia statutis Sacrificio interveniendi; et sicuti canones fidelibus hoc praescribentes, de parochiali Missa loquuntur, veteres hac in re leges adoptamus, ac proinde quidquid ab Episcopo ordinatum fuit pro erectione novarum paroeciarum Pratensium, admittimus (1). Publica etiam, quae in Pagis sunt, Oratoria sublata prorsus volumus, nisi populi utilitati necessaria iudicentur; si quae autem eiusmodi sint, in Ecclesias parochiales erigi desideramus; interim vero parochialis instructionis et catecheseos munere Cappellanus fungatur. De privatis autem Oratoriis campestribus prudentiae erit Episcopi, quod opportunum fuerit, determinare.

Cum vero dicimus, fideles Sacrificii participes fieri, intelligimus, ipsos una cum Sacerdote victimam offerre, et immolare, et semetipsos cum illo. Cum autem universa liturgia nil aliud, quam istas Sacrificii partes, et actuum eas comitantium regulam contineant: hinc iuxta Sanctorum Patrum doctrinam, antiquitatis praxim, et omnium liturgiarum spiritum, Sacrificii actio Sacerdoti ac populo communis est.

His inuixa principiis Sancta Synodus optaret, ut sublatis rationibus, propter quas ea data sunt oblivioni, ad maiorem rituum simplicitatem liturgia revocaretur, exponeretur in vulgari lingua, et elata voce proferretur. Verum cum praesentes rerum circumstantiae his desideriis satisfacere non permittant;

Con-

Concilii Tridentini legem renovat, Pastoribus praescribentem, ut diebus festis inter Missarum celebrationem aliquam liturgiae partem explicent; atque hortatur, ut libros populo distribuant, in quibus ordo Missae vulgari lingua habeatur; eosque, qui legere edocti sunt, per eorum lectionem Sacerdotem sacrificantem sequi insinuent.

Cum vero ad Sacrificii essentiam pertineat, ut offerentes de victima participent, optaret Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes communicarent.

Ceterum ut illicitas Missas illas non damnat, in quibus adstantes Sacramentali Eucharistiae perceptione non communicant; cum et spirituali affectu communicantes, licet minus perfecte, de eadem victima participent. Statuit tamen, ut quoties ad Eucharistiam suscipiendam quis dispositus fuerit, in Missa, et ex particulis in ea consecratis communicet; et ideo Sacerdotibus praecipit, ut quotiescumque communicare volentes Sacrificio adesse conspiciunt, sufficientem particularum numerum consecrent, et iuxta Missalis Romani decretum post propriam communionem populo quoque communicare volenti sacram Eucharistiam distribuant; eosque peccati reos futuros esse monet, quoties fideles communicare paratos in Missa iure suo fraudarent, et peculiari, qui ex communione liturgica provenit, fructu privarent.

VII. Reliquum est; ut modum suscipiendi hoc Sacramentum determinemus. Quare cum Sanctis Patribus profitemur primum, Eucharisticam comestionem, ut visa fuerat Capharnaitis, non esse carnalem. Si cibus iste spiritualis est, si vitam spiritus nutrit, etiam modus ille, quo vescimur, spiritualis censendus est. Hinc qui ad eius perceptionem dispositum spiritum non habent, licet Sacramentum

den-

dentibus premant, et Iesu Christi corpus intra se admittant, nullum tamen ex illo fructum percipiunt.

Circa spirituales vero dispositiones definimus, praeter fidem, qua ad Sacramentum accedens Corpus Domini diiudicare sciat, immunitatem a peccato requiri: quoniam sancta sancte tractanda sunt, et notum esse debet Apostoli monitum: *qui manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Quamobrem nullus etiam Sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius sit, ad mensam hanc praesumat accedere, antequam iuxta regulas in decreto de Poenitentia praescribendas seipsum probaverit.

VIII. Expendens denique Sancta Synodus finem, quo Sacrificium offerendum est, actum hunc ad latriae cultum pertinere profitetur; hinc licet interdum in Sanctorum honorem offerri dicatur, non ipsis tamen, sed Deo in illorum memoriam offerri declarat, ut gratias Deo de illorum victoriis agamus, ut nostros intercessores fieri postulemus, ut cum ipsis in divinis laudibus et orationibus coniungamur.

Quoniam vero eadem in Sacrificio victima offertur, quae in Cruce pro omnibus immolata fuit, oblationem nostram ad omnes pertinere credimus, nempe ad illos, qui extra Ecclesiam sunt, et ad omnes credentes, qui in terris vivunt, pariterque ad eos, qui cum fidei Sacramento nos praecesserunt, et in somno pacis dormiunt.

Praeter hanc tamen generalem oblationem, specialem aliquorum tam vivorum, quam defunctorum commemorationem in liturgia fieri, et peculiariter pro ipsis Deum deprecari posse credimus, non quidem in Sacerdotis arbitrio positum esse autumantes, Sacrificii fructum, cui ipse voluerit, applicare; immo

Digitized by Google

errorem hunc veluti Dei iuribus valde derogantem damnamus, qui solus cui vult, et quomodo vult, Sacrificii fructus distribuit.

Et quoniam in populo opinio falsa invaluit, eleemosynam Sacerdoti suppeditantes ea conditione, ut Missam celebret, specialem e Sacrificio fructum percipere, Synodus iubet, ut Parochi gregem suum doceant, Missae Sacrificium infiniti esse pretii, ipsius autem fructuum applicationem a Deo dependere, eosque magis de ipso participare, si cum firma fide, et corde contrito, charitate inflammati cum Sacerdote offerente uniantur; consecuturos tamen eleemosynae quoque fructum, si in spiritu charitatis facta fuerit, donum non respiciente Deo, sed donantis pietatem.

Ad usum denique quod pertinet eleemosynarum eiusmodi, considerans Synodus, eum usque ab aetate, qua fuit invectus, praescriptae Sacerdotum liberalitati in mysteriorum Dei dispensatione fuisse semper impedimento cum fidelium scandalo rerumque sanctarum profanatione, vidensque repetitas toties Conciliorum, Romanorum Pontificum, et Episcoporum constitutiones huiusmodi abusiones impedire non potuisse, ipsum penitus abolere opportunum existimavit; atque hac in re adhaerere se putat piis Magni Principis nostri consiliis in Encyclica diei 26. Ianuarii 1786. expressis; declarat tamen, hoc quoad Sacerdotes egenos executioni mandandum non esse, donec ab Episcopo honestae illorum sustentationi consultum fuerit.

His quatuor Decretis subscripserunt Patres n. 238. ipso Praeside computato. Qui subscribere recusarunt, sunt qui sequuntur.

P.

P. Ioseph Baldesi, *Parochus S. Prosperi*, *et Oratorii Praepositus*.

D. Antonius Gelli, *Prior Valenzatici*.

D. Marcus Vivarelli, *Parochus Luogomani*.

Praeter istos alii quatuor subscripserunt in hunc modum:

Ego P. Angelus Cigheri, *Colonicae Plebanus*, salva Pontificis approbatione.

Ego Canonicus Franciscus Baldinotti confirmo ad normam professionis fidei in hac Synodo emissae.

Ego Canonicus Fabricius Cellesi iuxta meam protestationem exhibitam in Actis Synodi M. P.

Ego F. Antonius Maria Bartoli affirmo *q. salv. iuxta Decreta S. Cat. Ap. Rom. Eccles.*

SES-

by Google

SESSIO V.

HABITA VII. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

D. Ioseph Biondi Parochus S. Gregorii *all' Ombrone* Missam in hoc Conventu celebravit. Cantato Psalmo: *Salvum me fac etc.* et Evangelio S. Lucae: *In illo tempore: Designavit Dominus ec.* post versiculum hymni *Veni Creator*, sequentem precem Episcopus recitavit.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacro Verbi tui oraculo promisisti, ubi duo vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore: adesto coetui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum ec. Qui tecum vivit ec.

Post haec D. Canonicus Talini Praesidi et Patribus significavit, Reverendos Dominos Antonium Melchiorem Lenzi Plebanum Artimini, et Iosephum Turracchi Priorem Albiani iustis de causis absentes ad Synodum accessisse; a Reverendo Domino Michaele Iuliani Parocho Polignani deputari D. Benignum Aloysium Pasquetti Parochum *di Castrà*, a Rev. D. Leone Mazzei Parocho *di S. Mato* D. Io. Baptistam Ciabattini Plebanum *di Montale*, et a D. Pe-

Petro Baldacci Parocho S. Luciae *a Paterno* D. Nicolaum Baldacci Priorem S. Crucis *a Vinci*. Significavit insuper, Rev. D. Franciscum Nardi Parochum S. Blasii *alla Castellina di Limite* morbo correptum deputare P. Iosephum Bartoli Conventualium Guardianum; et propter salutis incommoda a Synodo abfuisse D. Canonicum Franciscum Baldinotti, et iisdem de causis discedendi veniam postulare D. Canonicum Thomam Rossi; abfuisse denique D. Iosephum Boccaccini, ut spiritualia obiret munia loci sub titulo *della Madonna dell' umiltà*.

Post haec unus ex Secretariis, cum pulpitum adscendisset, Sacro Conventui rationem reddidit eorum, quae constituta fuerant in Congregatione ad difficultates Patrum dissentientium examinandas destinata, quae habita fuit die 22. Septembris, et hodie mane hora septima. Ipse Synodum ita est allocutus:

„ En, Venerabiles Viri, Praeses, Patres, et Consa-„ cerdotes, quid in Congregatione elucidandis dif-„ ficultatibus deputata actum et stabilitum sit. „

„ Quae haetenus a paucissimis dissentientibus „ propositae fuerunt difficultates ad has reducuntur. „ 1. Conqueruntur, quod in articulos fidei quae-„ dam nondum definitae quaestiones erigantur. 2. „ Formam Decretorum Synodi sibi dari postulant, „ dicentes nimis implicatas esse quaestiones propositas „ quam ut de illis ipso quo proferuntur momento tem-„ poris iudicium fieri possit, nisi primum considerate „ et prudenter expensae fuerint. Tandem Dioece-„ sana Synodus fines suos excedere ipsis videtur, „ cum quaedam constituit, quae universim receptis „ in Ecclesia usibus videntur adversa. „

„ Ad haec dubia dissipanda, Congregatio eo-„ rumdem examini deputata observavit primum, de

quo

„ quo querela profertur, falsae hypothesi innixum „ esse. Nunquam enim voluit S. Synodus, nec vult, „ quaedam doctrinae capita, veluti fidei articulos „ fidelibus proponere, de quibus Ecclesia universa- „ lis definitivum iudicium nondum protulerit. Hoc „ si contenderet, Ecclesiae constitutionem, et defi- „ nitionum dogmaticarum naturam penitus ignoraret. „ Ipsa, quam S. Synodus proposuit, doctrina de Ec- „ clesia, et de Ecclesiasticarum definitionum characte- „ ribus, satis ostendit, quam destituta ratione sit huius- „ modi hypothesis. Non alium finem habuit S. Sy- „ nodus, quam ut tutiorum doctrinarum ordinem „ quemdam conficeret, quo desideratam adeo sen- „ tentiarum ad morum praesertim fundamenta spe- „ ctantium uniformitatem obtineret. Vulgatissimum „ est discrimen, quod inter articulos fidei, et veri- „ tates nondum definitas, aut definitas olim, et „ postea superinductis quaestionibus obscuratas in- „ tercedit. Huius generis veritates ad doctrinae Iesu „ Christi depositum pariter pertinent; sicuti vero in „ iis approbandis nondum apparet unanimis Eccle- „ siae consensus, aut lapsu temporis vim quam an- „ tea habuerant, veritatis iure omnibus notae, quo- „ dammodo perdiderunt, ita praedicari fidelibus ne- „ queunt veluti fidei capita sub poena haeresis neces- „ sario credenda. Hoc vero non impedit, quominus „ etiam in huiusmodi veritatum obscuratione Pastorum „ officium sit ad eas defendendas Scripturam, et Tra- „ ditionem perscrutari, easque veluti divinae revelatio- „ nis fontibus magis concordes sequi. Tot Ecclesia- „ rum, et Universitatum, ut aiunt, Europae catho- „ licae exemplum, quae aliqua doctrinae capita ado- „ ptarunt; tot Instructiones Episcoporum sapientio- „ rum, qui eadem Dioecesibus suis proposuerunt; „ munus denique, quo Ecclesiastici homines adstrin-

 guntur,

„ guntur, puriorum doctrinarum pascua populo sub-
„ ministrandi, morem hunc satis confirmat. »

» Igitur S. Synodus nihil aliud sibi proposuit,
» quam illas adoptare sententias, quae in celebriori-
„ bus christianis Scholis, et ab illustrioribus quibusque
„ Ecclesiis propugnantur; quod vero pertinet ad gra-
„ tiam et praedestinationem, illos articulos approbare,
„ quos ipsi summi Pontifices, et praecipue Bene-
„ dictus XIII. summopere commendavit, atque *tutis-*
„ *sima, et inconcussa dogmata* nuncupavit. »

„ Iis vero qui Decretorum exemplar dari sibi
„ postulant, in promptu responsio est, hoc in nul-
» la unquam Synodo factum reperiri, immo nec fie-
» ri posse in tam frequenti Patrum consessu, in
„ quo singuli id ipsum possent exigere; per hoc
„ etiam nimiam atque in Synodis inusitatam dilatio-
„ nem productum iri; nec demum inde singulorum
„ necessitatibus consultum fore, quoniam Decreta
„ haec non plenos exhibent Theologiae tractatus,
„ sed simplicem doctrinae expositionem, quae
„ tractatuum theologicorum, ad quos pertinet,
» cognitionem haberi ponit. »

„ Caeterum satis provisum omnibus S. Syno-
» dus putat, cum methodum illam observat,
» quae universim in prima Sessione adoptata fuit. „

» Cum enim Sessio indicitur, res, de quibus agen-
» dum est, generatim proponuntur. In sequenti arti-
» culi distinguuntur, et ad internas Ecclesiae valvas
» affiguntur. In Congregationibus intermediis discu-
» tiuntur, expenduntur, et illae mutationes fiunt,
» quae iisdem Congregationibus opportunae viden-
„ tur. In alia Sessione Decreta leguntur. Nunciat
„ Promotor, quod illi, quorum animis aliquae hae-
« rent difficultates, subscriptionem suspendant,
» donec eaedem fuerint expeditae. Quibus hoc
tem-

„ tempus non sufficit, ut perfectam rerum cognitio-
» nem acquirant, nec Decretorum exemplar iis suf-
» ficeret, sed plurium annorum schola desidera-
» retur. Iam vero Synodi Sessiones cathedram non
» erigunt iis erudiendis, qui res, quae definiun-
„ tur, ignorant. „

» Iis vero, qui obiiciunt, Synodum fines suos
» excedere, cum quaedam de novo decernit, quae
„ universim receptis in Ecclesia usibus videntur
» adversa, respondendum esse Congregatio existi-
» mat, distinguendos esse hoc in loco usus, qui
» constanti antiquiorum Ecclesiae temporum pra-
„ xi confirmantur; ab iis, quos viciniora nobis
» tempora postea introduxerunt, et qui nullum ha-
» bent in antiquitate fundamentum. Ad primos quod
» pertinet, nullam voluit Synodus ne minimam quidem
„ mutationem inducere. Alios autem e re esse duxit
» ad propriam originem revocare, et in quibus-
„ dam articulis tantum remedia notavit, desiderium
„ quidem mutationis, non mutationem ipsam si-
» gnificantia. »

„ Quod pertinet ad difficultates a Parocho Luo-
„ gomani propositas, cum earum aliquae, uti so-
» nant, fundamentales ethicae christianae veritates
» subvertere videntur, ideo Sanctae Synodo pro-
» ponitur, ut ab Episcopo duo viri probi doctique
» seligantur, qui uberiorem ab illo exigant opinio-
» num suarum explicationem, unde de ipsius do-
» ctrina certiores fiant.

» Demum quod spectat ad duas epistolas a
» D. Can. Fabricio Cellesi scriptas, quarum unam
» D. Promotori, alteram D. Canonico Tulini direxit,
» qui vices obibat Praesidis Congregationis earum-
» dem examini deputatae, quoniam supradictus D.
» Can. Cellesi, posteaquam eadem Congregatio di-

» missa est, novam protestationem, et declarationem ,, interposuit, ideo Congregatio negotii huius rationem Sanctae Synodo reddere expectat, posteaquam eadem epistola declaratoria ad examen fuerit » revocata. »

» Placetne vobis, Venerabiles Viri, Praeses, Pa» tres, et Consacerdotes, haec omnia approbare ?

Audita Patrum approbatione Episcopus iussit, ut quae in Congregationibus intermediis de Poenitentia, de Extrema Unctione, de Ordine, et Matrimonio constituta fuerant, Synodo communicarentur, quod operâ eorum, qui a secretis erant, uti in aliis Sessionibus, exsecutioni mandatum est. Cum haec quatuor decreta unanimiter a Patribus approbata fuissent, iis plerique de more subscripserunt.

Quandoquidem in Decreto de Sacramento Ordinis ratio habita fuerat in Congregationibus intermediis epistolae encyclicae Regii Iuris Secretarii datae die 26. Ian. circa aequalitatem titulorum et insignium, quibus spirituales animarum curatores decorari solent, ita qui a secretis erat, idem Decretum legens, quod hac in re sancitum erat, Synodo significavit, hisce verbis ipsam allocutus:

» Cum in Congregationibus intermediis diei » 23. huius Mensis expendissent Patres titulorum » differentiam, quibus nunc Parochi distinguuntur » iuxta praescriptum Encyclicae epistolae die 26. » Ianuarii huius anni datae, praecipue §. 26., et » cum aequalia singulis insignia proposuissent, Prae» ses, cui tituli signique delectus commissus fuerat, ,, declaravit, quemlibet Parochum principalem, ne» mine excepto, tam in Urbe, quam ruri, Plebani » titulo esse decorandum, Parochos autem non prin» cipales, et quos Capellanos vocamus, Coadiuto» rum nomine appellandos esse.

„ Quod

» Quod vero ad insigne pertinet, Prae-
» ses ipse decernit, ut omnes indistincte curam
» animarum habentes, sive Plebani illi sint, sive
» Coadiutores, superpellicei loco Rocchettum, ut vo-
» cant, et Mozzettam usurpent cum hoc discrimine,
„ quod Plebani Mozzettam et gutturis tegmen coloris
» violacei deferant, Coadiutores autem eadem usur-
» pent coloris nigri. »

Episcopi Decretum, cui haec deliberatio innititur, his verbis exaratum est.

„ Nos Scipio de Ricciis Dei misericordia Epis-
„ copus Pistoriensis, et Pratensis. »

„ Considerantes, titulorum et insignium diversi-
„ tatem, quae inter dilectissimos Parochos nostros
„ in usu est, falsam auctoritatis et dignitatis ideam
„ ingerere, quam aeque omnes a Iesu Christo acce-
„ perunt, et vanitatis scintillas in populis eorum cu-
„ rae commissis facile suscitare posse, consilium Re-
„ ligiosissimi nostri Principis, quod nobis per episto-
„ lam Encyclicam a Secretario Regii Iuris die 26.
„ mensis Ian. 1786. communicatum est, eaque secuti
„ quae in Synodalibus Congregationibus intermediis
„ deliberata fuerunt die 23. Septembris 1786., non
„ tantum ut omnis inaequalitas auferatur, quantum eti-
„ am; ut nostrorum Cooperatorum decori magis consul-
„ tum sit, eos distinguendo a caeteris, qui inferio-
„ ris sunt ordinis, et dignitatis, disponimus, ordi-
„ namus, determinamus: „

„ Parochos omnes principales indiscriminatim
„ Plebani titulo decorandos esse, illosque qui hac-
„ tenus Capellani Curati vocati sunt, imposterum
„ Coadiutores appellandos. „

„ In ecclesiasticis ministeriis Rocchettum, ut no-
„ minant, et Mozzettam utrisque concedi, et extra
„ ecclesiastica officia gutturis tegmen coloris violacei,

„ eiusque coloris signum in pileo: cum hoc tamen
„ discrimine quod Coadiutores haec ipsa insignia
„ deferant coloris nigri, et omnia ec. mand. ec. „
„ Dat. ex Palatio Episcopali die 25. Septem-
„ bris 1786. „

His omnibus expletis S. Synodi Promotor quaedam discutienda proposuit de oratione, de vita et honestate Clericorum, de collationibus moralibus, tum de aliquibus supplicationibus R. Principi exhibendis. Hisce verbis constabat propositio:

„ Proponitur Venerandis Patribus exhibenda
„ quaedam generalis idea orationis. „

„ Rationes breviter proferentur, quibus neces-
„ sitas orationis innititur; quodnam sit eius princi-
„ pium et spiritus: ad quem dirigenda sit; pro quo
„ sit orandum: quae petenda et cum quibus dispo-
„ sitionibus. „

„ Hinc nobis aperietur via disserendi de neces-
„ sitate orandi in nomine Iesu Christi: instituetur
„ pariter sermo de invocationis Sanctorum utilitate,
„ et de honore, qui eorum reliquiis exhibendus est,
„ sicuti et de usu atque veneratione imaginum eo-
„ rumdem. „

„ Post haec de prece publica, et de ipsius
„ utilitate tractandum. De facilioribus adiumentis,
„ quibus ad illam simplex populus excitari possit,
„ eamque diligere, quale est novi libri ritualis, et
„ manualis in latino et vulgari idiomate compilatio.
„ Hinc quaedam indicabuntur, quibus provisum est,
„ ut officia sacra maioris utilitatis sint, et aedifica-
„ tionis; de festis agendum erit, hicque expendetur,
„ num eorum numerum expediat imminuere; po-
„ stremo de locis orationi dicatis sermo fiet. „

„ De vita et honestate Clericorum dicendum erit. „

„ Exponetur insuper, quis sit Collationum ec-

cle-

„ clesiasticarum scopus; quomodo ab eo Ecclesiae „ Pastores decursu temporum recesserint; et ipsarum „ reformationis necessitas. „

„ Ea proponentur, in quibus ipsae versari de„ bent, et qua methodo. „

„ Postremo modus stabilietur, quo in ipsis re„ ctus ordo servari queat. „

„ Proponetur denique libellus supplex R. Prin„ cipi offerendus, ut omnem in foro vim sponsali„ bus adimat; impedimentorum Matrimonium diri„ mentium numerum minuat; iuramenta reformet; „ festa reducat ad minorem numerum; Paroeciarum „ circuitum meliorem in ordinem redigat, et systema „ aliquod approbet pro reformatione Regularium, et „ convocatione Concilii nationalis. „

Tunc vero futuri Conventus dies hoc pacto iuxta morem indicta est.

„ Illustrissimus et Reverendissimus noster in „ Christo Pater Scipio de Ricciis Pistoriensis et Pra„ tensis Episcopus huius S. Synodi Dioecesanae „ Praeses pro futura Sessione horam assignat octa„ vam matutinam proximae diei Mercurii 27. Sep„ tembris. Vos omnes, ut interveniatis, hortamur, ut „ res in hac Sessione propositae expediantur, atque „ ut de Synodalium Constitutionum auctoritate aga„ tur, et de Sancti Concilii conclusione. „

Actis omnibus finis impositus est consueta benedictione.

Huic Sessioni interfuerunt

Parochi	- - - - - - - - - „	180
Capellani Curati	- - - - „	13
Canonici	- - - - - - - - „	12
Sacerdotes	Seculares - „	28
	Regulares - „	13
	Omnes num. „	246

DECRETUM

DE POENITENTIA.

§. I.

Sacramentum Poenitentiae, quod secunda post naufragium tabula passim a Sanctis Patribus nuncupatum fuit, nostras curas et animadversiones prae ceteris exigit. Interest nimium, ut nedum a Pastoribus, a fidelibus quoque iusta ipsius notio concipiatur, unde et accurate administretur, et cum fructu recipiatur. Si tot abusiones et mala in tam augusto Sacramento etiamnum dominantia conspicimus, unde fit, ut innumerabilis pseudo-poenitentium copia appareat, et nulla conversio, quod Romani Pontifices, sacrique Pastores toties defleverunt, hoc ex neglectis fontibus profluxisse dicendum est, ex quibus rectum de hoc Sacramento iudicium hauriri poterat. Non sine animi commotione et lacrimis commemorari possunt beata illa Ecclesiae saecula, quando idem erat, ad hoc Sacramentum accedere, et mundi voluptatibus nuncium mittere, continuum propriis cupiditatibus bellum declarare, humilis et mortificatae vitae rationem admittere, et in ea perquam diuturno tempore fervide perseverare. Sed illi transiere dies, et vere dicere possumus, nomen dumtaxat poenitentiae permansisse; quod si Sacramentum primam non amisit vim, cum non ab homine intrinseca ipsius pendeat efficacia, plerumque

tamen

tamen inutile et perniciosum est, quia male miniſtratur, et sine dispositione recipitur.

II. Undenam vero isthaec inordinatio contigit? Non est nobis animus gradus adamussim recensere, per quos ad tantum contemptum hoc Sacramentum venit. Alexander VII. Pontifex, ut supra notatum est, eum magna ex parte derivavit ex luxuriante licentia hominum temerariorum, qui profana loquacitate pleni, tum subtilitate, quae scholastica dicta fuit, et intemperanti desiderio incitati hominum cupiditatibus assentandi, a puris Scripturarum et Patrum fontibus recesserunt, suasque humanas opinationes, ut in Scholis et multo magis in Ecclesiis dominarentur, introduxerunt. Cum externorum agminum multitudo, invitis legitimis Pastoribus, in Sacramentorum ministerium se se intrusit, et ad offerendam ignotis et sine disciplina hominibus reconciliationem vagabunda defluxit; cum dominans barbarae philosophiae euthusiasmus claram et distinctam huius Sacramenti ideam vitiavit atque corrupit, et momento temporis, aut mediae horae negotium factum est, quod olim christianos diutissime occupabat; nemo non intelligere potuit, quo demum deducenda erat huius Sacramenti administratio. Hinc peccatores iis barbaris saeculis multiplicati humilis poenitentiae curriculum ingredi repugnabant; inde vero istorum transeuntium ministrorum utilitas exigebat, ut omnia velociter, nullaque habita de necessariis dispositionibus certitudine, administrarentur. Infelix studiorum ratio, quae non solum in profanis scientiis, sed etiam in theologicis scholis dominari coeperat, verborum et subtilitatum vi, quibusdam regulis, et formalitatibus ridiculis, quae Patribus nostris incognitae fuerant, fidem et Sacramenta subiiecerat; novisque ideis veterum loco suffectis, non amplius de dispo-

sitionibus et conversione cordis disputatum, sed de materia et forma, de numero et distinctione peccatorum, aliisque similibus.

III. Verum hic non steterunt homines temerarii. Quantumvis invectae tunc temporis ideae inordinatae essent, omnium tamen adhuc doctrina erat, dilectionem Dei huius Sacramenti basim esse et fundamentum; et licet infelicitate temporum, et illorum disputatorum levitate amorem hunc dominantem Sacramenti materiam appellari placitum fuit, doctrina tamen de absoluta ipsius necessitate, ut Sacramentum digne susciperetur, perseveravit. Quis vero satis praevidere possit, in quam abyssum homo sensim ruat, si primis fractis obstaculis, sibimetipsi dimittitur? Molesta nimis iis videbatur amandi Deum necessitas ad reconciliationem obtinendam; itaque nescio quem poenae metum introduxerunt, qui licet malus dici nequeat, si manum saltem cohibere valet, cordi tamen immutando sufficiens esse non potest. Amplius quoque progressi sunt, privilegium nempe legis charitatis et amoris esse voluerunt posse cum Deo sine ipsius amore reconciliari. Nullo certe sensu ac nequam esse oportebat, qui de commentitia hac impietate non exhorresceret; fatendum tamen, non potuisse hactenus Ecclesiae fulmina, et piorum fidelium detestationem adeo pudendum vulnus perfectae sanitati restituere. Existunt adhuc, idque summo cum dolore reminiscimur, scandalosae huius doctrinae vestigia, et quorumdam corruptorum, liberorisque ingenii hominum operâ in non paucis pessimis libris, in quibus illa traditur, interdum expressa resurgunt. Haec igitur mala detestata Sancta Synodus, et volens, quantum temporum circumstantiae permittunt, tam necessarium Sacramentum ad antiquum fervorem ac spiritum revocare, Pasto-

stores, quam vehementissime potest, hortatur, ut ad fideles de ipsius natura, dispositionibus, et effectibus instruendos serio incumbant.

IV. Homo inter omnes terrestres creaturas excellentissimus nisi propter Dei sui gloriam creari non poterat. In hunc beneficum Dominum, veluti in proprium centrum ac finem ferri ipsum semper oportebat, omnesque vires suas et actus illuc dirigere. Felix isthaec propensio ac pondus ipsi a Domino impressum charitatis amor a Patribus constanter appellatus est. Si per peccatum originis cecidit, et a Deo, in quem semper ferri oportebat, in se ipsum relapsus est, in quo non poterat sine vitio quiescere, per reparantem Christi gratiam ipsi in Baptismate communicatam in ordinem restitutus, et ad Deum finem suum iterum directus est. Sic refectus homo, si ordinem hunc iterum pervertit, et a centro suo ultimoque fine recedens ad creaturam et ad se ipsum convertitur, in se ipso et in creatura quietem et felicitatem quaerens, tunc peccat, illiusque amoris servus efficitur, qui concupiscentia carnalis et terrena nuncupatur. Amor igitur creaturae usque ad contemptum Dei hominem peccatorem constituit; amor Dei usque ad odium et contemptum sui et creaturae, ipsum ad ordinem revocat et ad iustitiam.

V. Si peccatoris status iste est, patet non posse illum a peccati statu ad iustificationem transferri, nisi per oppositam viam ad finem suum et ad Deum redeat, suos affectus a creaturis avertens, eosque ad Deum convertens, destruens amorem concupiscentiae, et charitatis amorem in corde suo producens. Haec tam clara et distincta iustificationis ratio in pluribus Scripturarum locis indicata est, ubi poenitentia reditus et conversio dicitur: *convertimini ad me in toto corde vestro: converte nos Deus etc.*

Ipse

Ipse vocis familiaris sensus idipsum demonstrat, cum impii iustificatio vulgo vocari soleat conversio, idemque sit iuxta S. Augustinum ac conversio a creatura ad Deum.

VI. Cum igitur homo in se ipsum reversus, in profundo cordis sui, et animae amaritudine suorum affectuum inordinationem considerat, tunc sanctam concipit iram vivumque status sui odium, et secum ipse irascitur, quod a fine suo recesserit. Gratia, quae in eo primos odii et doloris motus operatur, illum quoque spiritum compunctionis et pietatis excitat, quo ad finem suum redire ardenter cupit, et gemit de servitutis et miseriae statu, in quem se se voluntarie coniecit. En primas dispositiones cordis ad iustificationem aspirantis; hae solae irreligiosa eorum systemata destruere aptae sunt, qui per manifestam contradictionem peccatorem adultum ad habitualis charitatis statum sine aliquo ipsius actu reducere contenderunt.

VII. Cum in hoc humilitatis et confusionis statu peccator manet, ipsa rei natura postulat, ut Deo satisfacere propter culpam desideret; et qui corporis sensus voluptati ac peccato servierunt, eos nunc poenae et macerationi subiicere vehementer cupiat. Ipsa humani cordis natura hoc gignere debebat desiderium. Huic principio tam praeclari exempli innixa erat praxis primorum poenitentium, qui quod servierat peccato, nunquam satis in se ipsis castigare sibi videbantur. Non expediebat tamen punitionem hanc liberae fidelium voluntati permittere. Alii enim nimis ardentes christianae prudentiae limites excessissent, alii nimis languidi nullatenus profecissent. Ecclesia itaque Apostolorum, praecipue vero S. Pauli exemplum imitari volens quamdam disciplinae methodum statuit, quae poenitentia cano-

ni-

nica vocata fuit, communis omnibus, sed omnibus accommodata. Per hanc non solum culpa punienda erat, sed praecipue peccatores ad gratiam et ad augmentum ipsius disponendi.

VIII. Veritas est certissima, gratiam passim non operari nisi per gradus; incipit, augetur, perficitur. Cum primos caelestis charitatis motus peccator sentit, otiandum ipsi non est; sed operibus propriis ii nutriendi, fovendi, et promovendi sunt. Hi primi divinae gratiae radii per otium et frigidam animi indifferentiam nimium periclitantur. Tunc ergo peccator in solitudinem secedat, voluptatibus ac solatiis valedicat, oratione, et sanctorum librorum lectionibus nutriatur, in ieiunio vivat, et in humilitate; sicque firmam habere poterit spem, prima hac semina profundas radices proiectura, et cordi suo dominatura. Haec fuit aequissima Ecclesiae, et magnorum illorum hominum mens, qui poenitentiales canones sanciverunt; hinc illa prudens moderatio nata, quae in pietate ferventioribus aliquam poenae huius partem remittebat, quae indulgentia vocabatur. Poenitentis ardor et sollicitudo satis ostendebat, charitatem in corde suo amplius non esse languidam et imbecillem, sed progredi et augeri. Post haec tam mira et certa experimenta absolutionem, sive iuxta illorum temporum phrasim reconciliationem et pacem per ministros suos Ecclesia concedebat.

IX. In hoc miro augustoque ordine huius tam necessarii Sacramenti dignitatem omnem cognoscimus, ab iis subtilitatibus liberam, quae temporum decursu adiecta fuerunt, quin illud frigidum timeamus verbum, derogari nempe auctoritati ministerii, si multum charitati tribuatur. Novimus et firmissime credimus, datam Ecclesiae auctoritatem remittendi peccata esse veram iurisdictionem, per

quam

quam non solum peccator a criminibus absolutus declaratur, sed revera solvitur; sed aeque credimus, indispositioni cordis, et charitatis, sive amoris Dei dominantis defectui nullatenus absolutionem supplere. Quod charitas perfecta etiam ante absolutionem iustificet id certum est; sed isthaec in praesenti gratiae statu numquam est perfecta, nisi ad absolutionem, quae Sacramenti Poenitentiae pars est, desiderio referatur; eademque Sacramenti gratia sive efficacia ea plane est, quae nobis huius charitatis augmentum impetrat, quae si desit, numquam ei supplere potest Sacerdotis absolutio. Hoc in sensu verba Patrum et Concilii Tridentini intelligimus, cum asseruerunt, imbecillitati charitatis, quae extra Sacramentum ad iustificationem non sufficeret, sacramentalem absolutionem supplere. Non huic defectui supplet absolutio, nec charitatem confert habitualem, poenitentis actibus in imbecillitatis statu permanentibus; sed Sacramenti efficacia actualem charitatem roborat, ut illum ad iustitiae et sanctitatis statum transferre sufficiat. Iniusta ergo calumnia est, iustificationem in statu gratiae graviorem dicere, et difficiliorem, quia praeter charitatem, quae ad reconciliationem cum Deo ineundam semper necessaria fuit, confessio et absolutio requiritur. Equidem has novas obligationes ad iustificationem obtinendam nova lex addidit; sed ipsum hunc charitatis dominantis spiritum per Sacramenti virtutem faciliorem, et magis familiarem reddidit, cum in veteri foedere veluti extraordinarius divinae omnipotentiae conatus haberetur, paucissimis tantum animabus concessus, quas ut parvum iustorum numerum continuarent elegit Deus, voluitque semper esse vel in statu naturae et legis, veluti legis gratiae primitias.

X.

X. Nunc itaque ad analysim, et ad certas distinctasque regulas revocemus, quae hactenus ex antiquitate, ipsaque Sacramenti natura derivata principia posuimus, et quaedam maximi momenti consectaria pro praxi colligamus.

1. Ut igitur Sacramentum valide suscipiatur, charitas Dei dominans in corde nostro prorsus necessaria est, et isthaec per omnimodam a vitio separationem, vivumque desiderium puniendi peccatum in se ipso oportet extra manifestari. Conversio relapsibus interrupta et claudicans non adhuc conversum cor indicat, et languor in exercitiis poenitentiae magnam charitatis nimium parvulae imbecillitatem prodit. Cum hoc contingit, ab impertienda absolutione cavere Sacerdos debet, ne novo crimini se ipsum, et poenitentem obnoxium faciat.

2. Non temporis momento cor hominis ad extrema dilabi solet; nec rursus ad iustitiae statum pervenit nisi per gradus, sicuti in peccati profundum se se non coniicit, nisi multa leviora peccata praecesserint, quae naturalem hominis debilitatem paullatim vincentes eo perveniunt, ut sanctificante gratia hominem privent. Ergo uti duo theoremata fundamentalia Sacerdos stabiliet; primo, improvisas illas conversiones ab extraordinaria animi concussione natas semper esse suspectas, et potius esse fervescentis imaginationis, quam mutati cordis effectum. Irregularis illius novae consuetudinis strepitus, quam exercitia aut missiones appellamus, et improvisus procellae aut alterius damni temporalis terror nunquam fortasse, aut saltem raro perfectam conversionem producere consueverunt; illique apparentes externae commotionis actus, nil aliud fuerunt, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura. Secundo, sedulo debet advertere Sacerdos ad quamdam

dam vitae languidae et inertis rationem, quae a pluribus christianis ducitur. Haec acedia, hic languor argumento saepe est, non habitare amplius in christiani illius corde amorem Dei summum et dominantem, cum illum, ubi operatur, sollicitum esse constet; saepe vero gravibus lapsibus insensibilis est dispositio. Non erit ergo adeo imprudens Sacerdos, ut languentes hos spiritus sinat quiescere, istosque homines debiles et infirmos ad Eucharisticam mensam, quae panis fortium est, facile admittat.

3. Ex supra dicto principio haec quoque terribilis consecutio fluit, quae certos nos facit, eorum conversiones, qui peccandi consuetudine detinentur, et relabuntur in crimina, non nisi inanem speciem esse qua facile decipimur. Gratiae status inamissibilis non est, ut Novatores somniarunt, et transire potest homo a gratia ad peccatum; sed gratiae statu non induitur aut spoliatur homo quasi veste quadam, ut veteres novique Pelagiani contenderunt, et iuxta S. Paulum Sanctosque Patres status stabilitatis est et fortitudinis. Ut a gratia ad peccatum transitus fiat, affectus motusque cordis immutentur necesse est, diligendum est, quod odio habebatur, et odio habendum, quod hactenus diligebatur. Haec immutatio in amore naturali non unius momenti est opus, multò minus esse potest in charitate supernaturali, quae illo fortior et constantior est. Cavebit igitur Sacerdos, ne huiusmodi recidivis nisi post longissima experimenta, et veram mutationem vitae absolutionem impertiatur. Qui hanc regulam negligit, certe indisposito confert Sacramentum, cum impossibile sit, ut cor vespere diligat, quod mane perfecte oderat. Hinc prae oculis semper habebit praecepta, quae tanta cum veritate proposuit Op-

strae-

straetus *de laborioso Baptismo*, *in Pastore etc.* pariterque S. Caroli *Monita*, memor tamen propter temporum infelicitatem sanctissimum hunc virum aliqua usum fuisse indulgentia, summopere vero desiderasse, ut ad aequissimam antiquitatis, et Patrum disciplinam unusquisque magis accederet.

4. Si charitas ab initio exigua semper est, ut ipsius augmentum obtineatur, plerumque a Sacerdote curandum est, ut illi actus humilitàtis et poenitentiae praecedant, qui quolibet aevo ab Ecclesia maxime commendati fuerunt. Hos actus ad paucas preces, aut ad ali uod ieiunium siquis redigit, data iam absolutione, materiale potius desiderium is prodit nudum poenitentiae nomen huic Sacramento conservandi, quam prudens et aptum adminiculum praebeat ad illum charitatis fervorem augendum, quem praecedere absolutionem oportet. Absit, ut praxim imponendi poenitentias etiam post absolutionem faciendas improbemus; ac si omnia bona opera nostra non sine aliquo vitio sunt, quam metuendum, ne plurimas in difficillimo, et maximi momenti opere reconciliationis nostrae imperfectiones admiserimus! ceterum persuasi sumus, haec ipsa opera poenalia ante reconciliationem facta opportuna fore ad illud charitatis augmentum impetrandum, quod ad iustificationem necessarium est, et quod postea sperari frustra posset, si antea defuisset.

5. Quicumque tamen status et fervor charitatis in poenitente sit, non est absolutio nuda declaratio, ipsum iam fuisse gratiae restitutum, sed verus iurisdictionis actus, quo supra peccatorem illa suprema auctoritas exercetur, quam Christus Ecclesiae suisque Ministris suo nomine exercendam concessit.

6. Exerceri autem haec auctoritas non potest nisi ab eo, qui saltem in Presbyteratus Ordine constitutus sit, quorum singulis in impositione manuum, quae Ordinatio dicitur, immediate a Deo confertur. At quoniam potestas haec per modum iudicialis actus exercetur, ideo post Dioeceseon, et Paroeciarum institutionem par est, ut nemo nisi in sibi subditos aut loci aut personali iure hoc iudicium exerceat. Si secus fieret, omnia essent confusa et inordinata.

XI. De peccatis, pro quibus danda est absolutio, quae a Scholasticis Sacramenti *materia remota* vocata sunt, quam locutionem Sancti Concilii Tridentini Patres, ut mentem explicarent suam, fortasse vel inviti usurpaverunt, declaramus nullum peccatum nos credere natura sua irremissibile; illam tamen adeo venerabilem antiquitatis disciplinam satis admirari non possumus, quae non tam facile, aut fortasse numquam hominem post primum peccatum primamque reconciliationem in crimina relabentem ad poenitentiam admittebat. Magnum certe esset pro iis frenum, qui peccati malum parum considerant, minusque metuunt, si timenda ipsis esset exclusio a communione et a pace etiam in articulo mortis.

XII. Peccatorum venia ium confessio vetita non est, et aliquando laudabilis; nos tamen iuxta antiquitatis spiritum optaremus, ut huiusmodi confessiones non adeo frequentes essent, ne nimium in contemptum veniant. Ceterum ab illa absurda multorum opinione distamus, qui has confessiones, secluso directe voluntario contemptu, sacrilegii periculo nos exponere docent. Non aliunde profluit extraordinarius iste rigor, quam a perversa Scholae dialectica, quae in Ecclesia ante Arabum philosophiam inaudita fuit, quasi crimen esset, absolutionem illi

con-

concedere, cui desit id, quod *materiam* Sacramenti *proximam* ipsis placuit appellare. Nos e contrario actum humilitatis natura sua laudabilis esse censemus, proprias imperfectiones, ubi graves non habeantur, Sacerdoti aperire, et clavibus Ecclesiae subiicere; nec possumus intelligere, quomodo illi concessa absolutio, qui in statu gratiae est, et qui opus ex se laudabile perficit, eum gravis peccati reum hac solum de causa efficere possit, quod formalem et plenissimam illarum imperfectionum detestationem non habet.

XIII. Est autem omnino necessarium, uti Sanctum Concilium Tridentinum docet, ut omnia peccata sua mortalia poenitens confiteatur, omnesque circumstantias aperiat, quae Sacerdotis iudicium aliquo pacto immutare queunt. Si ipse Pater, Iudex, Medicus esse debet, omnes spirituales poenitentis miseriae et egestates ipsi innotescant oportet, ut iuxta christianae charitatis et prudentiae spiritum eum consoletur et instruat. Licet vero de omnium peccatorum notitia debeat esse sollicitus, diligentiorem tamen illum in cordis dispositionibus, quam in scrupulosa et numerica peccatorum serie investiganda cuperemus. Immensus Casuistarum grex, qui tanto cum ardore peccatis numerandis, ponderandis, et distinguendis incubuerunt, quin diligentius in quaerendo curandae infirmitatis modo immorarentur, ad eam nescio quam materialitatem, ut sic loquar, hoc Sacramentum perduxit. Omissa fidelium instructione, licet in eorum magistros indigestis suis casuum definitionibus, plerumque sine vocatione, sese erexerint, sterilem, litibus plenam, et problematicam Sacramenti administrationem effecerunt. Hinc Sancta Synodus optat, ut Sacerdotes omnes, quibus animarum cura commissa est, iuxta antiquam ac nobilem simplicitatem christianam, potius docti Directores, et Magistri fie-

ri satagant, quam minuti et sophistici peccatorum gravitatis pensitatores, quorum pondus accuratum solus cordium et perversorum operum malitiae infallibilis scrutator Deus saepe sibi voluit reservare.,

XIV. Pro huius tantae rei conclusione, quidpiam dicendum foret de eo, quod Sacramenti *formam* Scholastici nuncuparunt. Hanc in illis verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis etc.* consistere recentiores passim docuere, credentes absolutionem hanc utpote iudicialem actum non posse sub aliis formulis administrari, ceterasque orationes et caerimonias decoris tantum non necessitatis causa admissas iudicarunt. Antiqui Patres et Magistri de hac formula siluerunt, et de oratione super poenitentem, et de impositione manuum locuti sunt. Hanc impositionem et orationem praetermittere, quacumque de causa in more positum esse contigerit, semper est abusio nimium repugnans venerabili traditioni. Quam ob rem Sacerdotibus omnibus praecipimus, ut in danda poenitentibus absolutione ab his verbis *Misereatur tui* formulam exordiantur, toto huius primae orationis tempore manum tenentes supra poenitentem extensam modo quo poterunt commodiori; hinc alia verba *Indulgentiam* prosequentes graviter usque ad finem recitabunt quidquid in Rituali Romano legitur, ut in Rituali novo clarius exponetur. Igitur cavebunt sedulo, ne regulam hanc transgrediantur, iis rarissimis casibus exceptis, in quibus omnem explere ritum improvisus eventus non sineret. His in casibus, si tamen aliquando contingant, satius est aliquid utcumque venerandum praetermittere, quam christianum, pro quo Sacramenta instituta sunt, omnino derelinquere.

XV. Tandem illam formulam, quam recentiores aliqui conditionalem dixerunt, numquam in poste-

aterum usurpandam esse praescribimus. Nimiam sapiunt novitatem inventa haec antiquitati incognita; puerilibus plerumque argumentis et fallaciis innixa, quae huius sacri ritus gravitatem non parum dedecent.

DE INDULGENTIIS.

XVI. Nimis cum Sacramento Poenitentiae Indulgentia coniuncta est; quam ut aliqua de ea principia stabilire hoc loco negligamus; qui magis absolutam hac de re notionem desideraverint, librum illum adire poterunt cui titulus: *Trattato Storico-Dogmatico-Critico sulle Indulgenze* (1).

Indulgentia igitur in proprio suo sensu accepta nihil aliud est, quam remissio partis illius poenitentiae, quam peccatori Canones praescribebant. Cum in sanciendis sic appellatis Canonibus poenitentialibus ad peccatoris conversionem Ecclesia respiceret, nollet autem illum nimis opprimere, ita semper benignitate et indulgentia erga illos usa est, qui non aequivoca extraordinarii fervoris indicia praeferebant. Barbarorum irruptio, temporum ignorantia, Ecclesiasticorum cupiditas, ac denique Cruciatarum Expeditionum furor admirabilem hunc ordinem everterunt, iustasque eius notiones aboleverunt. Qui successerunt Scholastici, quod hac in re reliquum erat,

(1) Tractatus iste typis editus est Pistorii anno 1786. per Attonem Bracali; et insertus quoque est tomo XI. Collectionis Opusculorum ad religionem spectantium, quae ab eodem Typographo publici iuris fit. Vide subiectam Synodo Appendicem n. X.

erat, corruperunt, suisque subtilitatibus tumidi inauditum illum et male acceptum meritorum Christi, et Sanctorum thesaurum confinxerunt, claraeque ideae absolutionis a poena canonica confusam et falsam meritorum applicationem suffecerunt. Si haec merita erant infinita, thesaurus pariter infinitus esse debebat; hinc illa adeo scandalosa indulgentiarum dissipatio, quae ignorantiam populorum magis magisque nutrivit, et falsam magni lucri faciendi per has indulgentias opinionem fovit. Quod vero magis dignum est lacrymis, isthaec chimerica meritorum applicatio ad defunctos permeare coacta fuit, et huic adeo ruenti basi illud innixum est impotens desiderium Indulgentias pro defunctis multiplicandi, illaeque apparuerunt appensae muris ridiculae tabellae Indulgentiarum, quae defunctorum animabus applicari possint, Altarium privilegiatorum, aliorumque similium.

XVII. Super haec mala maximo dolore gementes stabile etiam in praesenti remedium ipsis afferre optavissemus; at considerantes necessariam inter indulgentiam et poenitentiae systema relationem intercedere, ipsis sicut oportet provideri non posse credimus, antequam Dioecesis Rituale determinetur, et stabiliatur, quod a paterna Episcopi et Pastoris nostri cura et zelo in prima futura Synodo factum iri confidimus. Constituto in hoc Rituali poenitentiae ordine et tempore, illisque poenitentialibus canonibus, qui praesentibus circumstantiis et Dioecesi nostrae convenire poterunt, renovatis, tunc facile erit inducere antiquum indulgentiarum systema, quas Parochi et Confessarii pro sua quisque prudentia cum Episcopi venia concedere poterunt. Haec nostra vota sunt, et desideria, quae in Iesu Christi Salvatoris nostri misericordia cito perfectum iri speramus.

XVIII. ...

XVIII. Interim providemus, ut omnes, quae Ecclesiarum ianuis affigi solent, Indulgentiarum tabellae penitus auferantur, praesertim vero, quae Indulgentias pro defunctis, et altaria privilegiata indicant. Indulgentiae per modum absolutionis conferendae sunt, et ideo Confessarii, cum poenitentes absolvent, declarabunt, vi tantum indulgentiae ipsis ab Episcopo aut alio pacto valide concessae, ipsos ab obligatione universam poenitentiam canonicam subeundi dispensari, eamque ipsis exhiberi clementiam, quam hodierna fert prolapsio disciplinae. Curabunt vero Parochi suos instruere de his veritatibus, quae adeo pertinent ad poenitentiae reformationem, et propterea iis utentur principiis, quae in supra citato opere de Indulgentiis exponuntur.

DE CASIBUS RESERVATIS.

XIX. Quod ad casus reservatos pertinet, de quibus iuxta epistolam die 6. Martii anni 1785. ab amantissimo Pastore nostro Parochis directam in hac Synodo agendum esset, hoc ad futuram Synodum differendum esse existimamus, cum Ritualis liber expositus fuerit et reformatus. Quorumdam casuum reservatio, qua nobis admirabilis illius disciplinae vestigium proditur, quae primorum Ecclesiae saeculorum gloria et decus semper erit, nihil aliud in praesens censeri potest, quam indiscretum pro inferioribus Sacerdotibus vinculum; et pro poenitentibus sonitus sensu vacuus, quibus haec reservatio parum negotii facessere consuevit. Rituali et poenitentiae ordine reformato, nullum amplius habituras locum similes reservationes speramus, aut huic reservationis ideae melius et utilius christianis argumentum supponi poterit. Ad hoc tendere videtur piis-

simi Principis nostri animus, nostrique Episcopi curae pastorales (1), et nos, ut haec stabili mandentur executioni, precibus nostris Dominum sollicitabimus.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS.

XX. Excommunicatio poena est maxima et extrema, quam Ecclesia infligere potest. Huius doctrinam expressam habemus in Evangelio. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*, dicit Dominus, *inter te et ipsum solum....; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Divisio igitur et segregatio ab Ecclesiae communione poenae huius naturam et effectum constituunt. Qui Ecclesiam non audit et pertinax in graviorum eius praeceptorum transgressione perseverat, suaeque doctrinae per voluntariam malitiam repugnat, si post correptionem non resipiscit; a divinorum mysteriorum participatione arcetur, in communibus oblationibus suum nomen dare non potest, nec in publicis precibus coniungi cum ceteris; uno verbo omne ecclesiasticum sacrumque vinculum cum illo disrumpitur. Hinc est, quod sapientiores Theologi docent, externum dumtaxat esse excommunicationis effectum, quia ab externa tantum Ecclesiae communione excludit. Solum peccatum interna charitatis vincula abscindit, quibus interius Ecclesiae corpori cohaeremus, et consequenter inter-

(1) Vide Append. n. XI. et XII.

ternam communionem rumpit, quae cum peccato nequit consistere. Ergo inadaequatam falsamque nonnullorum sententiam reiicimus, qui excommunicationem vel solam rumpendae cuicumque bonorum Ecclesiae communioni sufficientem arbitrantur; multo vero magis plurimos illos effectus reiicimus, quos poenae huic ecclesiasticae pravae ex scholis haustae sententiae, et barbarorum saeculorum usurpationes addiderunt; haec enim sacram Christi doctrinam, et venerabilem antiquitatem corrumpere nullo modo possunt. Externa mala, temporales minae, coactiones, exilia, aliaeque similes poenae ad Ecclesiae potestatem non pertinent.

XXI. His principiis positis fieri vix potest, ut terrore perculsi non admiremur eam, quae in aliquo praeteritorum saeculorum dominata est, poenae huius praecipitationem et abusionem, quam licet poenam voluit quoque Christus esse remedium, quod peccatorem, quin irritetur et pereat, ad resipiscentiam perducat. Multo magis vero cum Sancto Tridentino Concilio perterriti sumus considerantes, quantum huiusmodi censurae praeter modum excreverint, et per quas inanissimas causas derisioni potius, quam peccatorum utilitati fuerint expositae, et quam inaudita idearum subversione quaedam censurae species invecta fuerit, quae per saecula barbara vocata fuit, *ipso facto incurrenda*. Excommunicationem huiusmodi omnibus a Christo indicatis characteribus destitutam, aliosque posthabentem correctionis gradus, quos ipsi placuit constituere, veluti abusionem omnis effectus vacuam nos habemus. Et sane quomodo in re tam gravi valida iudicanda erit sententia lata sine examine contra homines indeterminatos, nec a iudice cognitos, nec a fidelibus, qui ab ipsorum communione sunt removendi? Credimus ergo iuxta omnes

nes

nes naturales et divinas leges personale examen excommunicationem praecedere oportere, ideoque sententias *ipso facto* appellatas non aliam habere vim, quam seriae comminationis sine ullo actuali effectu.

XXII. Hinc duo consectaria fluunt; inutilem primo esse introductam ab aliquibus saeculis formulam ab excommunicationibus absolvendi, in quas homo christianus incurrere potuisset. Externi sunt excommunicationis effectus, et ab externa dumtaxat Ecclesiae communione ipsa ex natura sua excludit. Quo pacto igitur huic externae participationi restitui poterit, qui nunquam ab ea repulsus fuit, sed semper et sine interruptione in ipsa perseveravit?

Secundo illas excommunicationes nullas et invalidas esse consequitur, in quibus praescriptus a Christo supremo et infallibili Ecclesiae capite ordo negligitur. Potestatis dissipatio et abusio numquam effectum producit, qui a legitimo dumtaxat ipsius usu procedit.

DE SUSPENSIONE.

XXIII. Quod hactenus de excommunicatione diximus, quae generalis poena est christianos omnes respiciens, ad dirigendas vulgares ideas inservire poterit circa suspensionem, quae nihilo minor poena est ad solos spectans Ecclesiasticos. Cum aliquis ad sacram Ordinationem aut ad Presbyteratum legitime admissus est, ex divina dispensatione ius acquirit proprium, ad quod electus est, ministerium exercendi, praesertim vero quod in divinorum mysteriorum celebratione versatur. Ac sine gravissimis causis, et sine illis cautionibus illoque ordine, qui in omni poena infligenda naturali iure observatur, iure hoc spoliari non potest. Qui hunc ne-

negligeret ordinem, sanctissima societatis, et humanitatis vincula violaret, et nedum medicinalem propriamque regiminis ecclesiastici poenam infligeret, iniustam et tyrannicam dominationem ille sibi usurparet.

XXIV. Nos itaque legitimam in Superioribus Ecclesiasticis potestatem agnoscimus inferiores ministros iuxta canones examinandi et puniendi, proindeque potestatem ferendi in Sacerdotes suspensionem; hoc tamen ius nullo modo arbitrarium esse credimus, nec a privata unius, qui semper eo abuti posset, opinione dependere. Haec absoluta dominatio semper ab Ecclesia reiecta fuit, tamquam vitium ipsi Ecclesiae naturae et constitutioni contrarium. Quapropter nullas et invalidas habemus illas omnes suspensiones, quae *ex informata conscientia* appellantur, quas violentia induxit, et hactenus ignorantia conservavit; certique sumus, Episcopos, quorum aliqui tanta cum aedificatione paternum et amabilem sacrae suae auctoritatis usum renovant, irrationabiles has abusiones perpetuo abolituros. Quippe ius omne, rectumque regimen postulat, ut, nisi probatum fuerit crimen, poena non infligatur, nec quispiam puniatur reus, quin de delictis suis convictus fuerit, aut saltem admonitus.

Si igitur inferiorum ecclesiasticorum officium est, in iustis et regularibus Superiorum suorum definitionibus admittendis humiles se exhibere, et plenos obsequii, officium pariter Superiorum est ab illis omnibus sententiis, quae dominationem fastumque sapiant, abstinere. Equidem gratulari nos maxime possumus, quod in amabili agendi ratione Pastoris nostri antiquae et mansuetudinis, et moderationis exempla renovari videamus, cum aequissimo iure persuasus ipse sit, eum, qui secus ageret,

ret, ecclesiasticae disciplinae subversioni cooperaturam, iterumque inducturum illam *Inquisitionis* speciem, quam suprema Religiosissimi Principis nostri decreta perpetuo abolitam voluerunt (1).

DE-

(1) Vide Append. n. XIII.

DECRETUM

DE EXTREMA UNCTIONE.

§. I.

Si quo tempore christianus adultus contra spirituales hostes caelestibus auxiliis adiuvari, et roborari indiget, tunc certe maxime iis opus habet, cum per aliquam gravem corporalem infirmitatem Deus illum visitat. Cum tunc humani generis inimicus, qui semper *circuit quaerens quem devoret*, inveniat illum oppressum doloribus, viribus destitutum, in profunda animi tristitia immersum, ac tum suorum delictorum memoria, tum severae in peccatores divinae iustitiae cogitatione, quae ipsius menti proxima obversatur, ad angustias redactum; facile est intelligere tunc omnes a Daemone exercitum iri conatus et fraudes, ut illum ad peccatum inducat, trahat in desperationem, et secum ad aeternam infelicitatem rapiat.

II. Attamen Iesus Christus omnium misericordiarum erga homines lapsos fons et meritoria causa, humanae imbecillitati tanto periculo expositae virtute sua deesse noluit. Hinc novum adiumentum praebuit, sive signum sensibile instituit, quod spirituales animae infirmi vires denuo suppeditaret, augens in ipsa charitatem, et consequenter cupiditatem minuens, unde est, quod hoc signum sensibile verum novi foederis Sacramentum dici et aestimari debeat.

III.

Digitized by Google

III. Sane haec Sancta Synodus innixa testimonio capitis quinti epistolae S. Iacobi, unanimi Patrum doctrinae, omnium particularium Ecclesiarum tam occidentalium quam orientalium consensioni, ac denique expressae Sancti Concilii Tridentini universalem Ecclesiam repraesentantis definitioni, firmiter credit, supradictum signum ex septem novae legis Sacramentis unum esse, quod infirmo peccata dimittit, augetque in ipso charitatem, et ad superandos potestatis tenebrarum impetus spirituales vires suppeditat. Credit pariter per hoc Sacramentum infirmi animam divina iudicia expavescentem recreari, adaucta spe peccatorum veniam per unius Mediatoris Iesu Christi merita obtinendi, et ideo ipsius animum depressum et deiectum erigi. Credit denique hoc institutum fuisse, ut etiam sanitatem corporis homini restituat, quoties utilis ea sit ad animae salutem.

IV. Pariter Sancta Synodus profitetur, Sacramentum hoc ad tanta gratiae auxilia infirmo rite disposito suppeditanda institutum, illud esse quod a Patribus appellatum fuit, modo poenitentiae complementum pro peculiari quodam ipsius effectu, modo oleum infirmorum, aut sacri olei unctio propter illam rem, quam simul cum precibus usui esse voluit Christus ad sacrum hoc signum sensibile instituendum. A saeculo autem XIII. usque ad praesens Extremae Unctionis nomine passim indicari solet, non quod hoc Sacramentum tunc solum suscipiendum aut ministrandum sit, cum extremus vitae dies imminet, aut cum omnem sanitatis spem vis morbi sustulerit; sed quia, cum iuxta praesentem Ecclesiae occidentalis disciplinam in infirmo, cui illud ministrandum sit, mortis periculum per morbi vim immineat, hanc Sacram Unctionem ultimam fere esse contingit, qua Christianus in Ecclesia liniatur. V.

V. Quamvis vocabulum *Presbyter*, quo ad Extremae Unctionis ministrum indicandum S. Iacobus utitur, aetate provectiorem aliquando significet, aut eum, qui in populo principem locum obtinet, non alios tamen ab hoc Apstolo eo vocabulo denotari credimus, quam veros et proprie dictos Ecclesiae Sacerdotes, exclusis nullo modo Episcopis; et licet ab uno tantum Sacerdote ministretur, validum tamen esse hoc Sacramentum profitemur.

VI. Attamen plurium Sacerdotum aliorumque ecclesiasticorum conventum in huius Sacramenti administratione non reprobat Sancta Synodus; immo cum ipsi probe perspectum sit, pluribus ad Deum deprecandum coniunctis, iuxta Tertulliani phrasim, gratam quamdam violentiam ipsi inferri, et ideo facilius, quod petitur, obtineri, conventum hunc Sacerdotum aliorumque ecclesiasticorum, aut etiam laicorum una cum Parocho, ubi commode fieri possit, ad aegri utilitatem non solum approbat, sed etiam desiderat.

VII. Cum, teste S. Ioanne Apostolo, nullus adultus Christianus se sine peccato esse vere dicere possit, cumque Extremae Unctionis effectus peculiaris sit remissio peccatorum, extra omne dubium est, neminem gravi morbo laborantem posse sine peccato hoc Sacramentum praetermittere, quando sine gravi incommodo ipso muniri queat.

VIII. At si Christianus aegrotans Extremae Unctionis auxilia sibi procurare tenetur, legitime etiam hinc consequitur, stricta teneri Parochum obligatione illud administrandi, cum necessariae dispositiones in illo agnoscuntur. Immo explorata nobis res est, proprium Parochi vigilantis suique gregis amantis officium esse, statim ad parochiani sui aegrotantis domum se conferre, ut antequam morbus ingravescat,

illum

illum ad recipiendam cum fructu Extremam Unctionem disponat. Ab hac obligatione nullatenus liberari credimus Parochum etiamsi morbi contagium timendum sit; docet etenim Christus a Pastore bono omnia dimittenda, et animam ipsam ponendam esse, quoties sibi commissarum ovium salus id postulet.

IX. Usque ad saeculum XIII., si peculiares aliqui casus excipiantur, constans omnium Ecclesiarum praxis fuit Extremam Unctionem infirmis ante Eucharistiam administrandi; tunc enim omnibus compertum erat, Extremam Unctionem Sacramenti Poenitentiae complementum esse, et ideo per illam amplius infirmos disponi, ut Sanctum Sanctorum digne reciperent. Nata vero falsa opinione, qua credebatur Extremam Unctionem quamdam esse publicae poenitentiae speciem; et cum pariter existimarent fideles, huic addictum poenitentiae Matrimonio uti amplius non posse, nec conscribere testamentum, nec carnes edere, inde factum est, ut cum sibi ab huiusmodi rebus abstinendum esse metuerent, huius Sacramenti administratio ad illud fere momentum differri coepta sit, quo de infirmi sanitate actum esset. Istorum mors, quam in his circumstantiis statim post acceptam Extremam Unctionem naturaliter contingere oportebat, aliquos ad credendum induxit ab ipso Sacramento mortem celerius portari: hinc aliam nacti sunt causam illud usque ad extremum vitae spiritum differendi. Vel ipsum recens Exremae Unctionis nomen, quo per id temporis hoc Sacramentum appellatum fuit, aut potius falsa huius novi nominis notio et interpretatio indicatum modo praeiudicium in hominum animis fortius impressit, quo creditum fuit, non nisi post Eucharistiam suscipiendum esse: invalescente vero in dies hac opinione, in particularibus Occidentis Ec-

cle-

clesiis consuetudo Viaticum administrandi ante Extremam Unctionem paulatim obtinuit, quae paene in omnibus adhuc perseverat.

X. Igitur Sancta Synodus in Spiritus Sancti nomine congregata ecclesiasticam splendidiorum Ecclesiae saeculorum disciplinam, quantum temporum circumstantiae sinunt, revocare cupiens, et ad pristinam reddere venustatem, et suppeditata hac in re a quibusdam aliis, praesertim Gallicanis Ecclesiis exempla imitari volens, Parochis mandat, ut non solum Extremam Unctionem paroeciae suae infirmis illam ante Eucharistiam postulantibus conferant, sed etiam ut exhortentur et curent, ut omnes eamdem ante Viaticum petant atque suscipiant. Pro certo enim habet haec Sancta Synodus, absque difficultate induci populum posse, ut huic disciplinae se se accommodet, si Parochi modum, quo contraria consuetudo invecta fuit, explicare curabunt; si populo persuadeant, Extremam Unctionem veluti Sacramenti Poenitentiae perfectionem a Patribus constanter fuisse descriptam, ac ideo aptiorem esse, quae nos ad Viaticum digne accipiendum disponat; si denique inculcabunt, nedum infirmi mortem ab ipsa portari, inter eius effectus immo recenseri, corporalis quoque sanitatis restitutionem, quoties animae saluti profutura sit.

XI. Et quoniam spiritualia gratiae auxilia, quae Christiano graviter decumbenti exhiberi possunt, numquam superabundare censenda sunt, si cum instructis tunc temporis a Daemone insidiis comparentur; hinc Sancta Synodus Parochum hortatur, ut ne etiam post administrata Poenitentiae, Extremae Unctionis, et Viatici Sacramenta infirmum deserat, donec aut periculum cessaverit, aut vita functus fuerit. Quam ob rem unusquisque parochus sine ulla

personarum divitum aut pauperum acceptione et distinctione, quanto magis invalescet morbus, tanto magis orationibus, consiliis, et praesentia aut sua, aut alterius Ecclesiastici hominis, atque etiam laici spectatae probitatis, si quando ipse vero impedimento detineatur, moriturum confortabit atque adiuvabit. Hinc argumenta ad animum permovendum apta in promptu habere curabit; et pro aegrotantium discrimine et affectionibus, pro variis temporum, locorum, et domesticorum circumstantiis varia exhortationis genera usurpabit. Ceterum omnes generatim hortabitur ad infirmitatis incommoda ipsamque mortem pro suorum scelerum satisfactione patienter tolerandam, ad se cum Iesu Christo, et per Iesum Christum Deo in sacrificium offerendum, ad ipsius misericordiam implorandam.

DE-

DECRETUM

DE ORDINE.

§. I.

Ab ipso iam exordio mundi Sacerdotes fuisse constat, quibus solis commissum erat Religionis ministerium. Ad hoc officium familiarum rectores ac primogeniti primis temporibus eligebantur, sive patrum traditione id fieret, sive in hoc facto illum Religionis sensum sequerentur, quo docebantur homines, ut augustum prae ceteris ministerium hominibus maiori in illis parvis societatibus dignitate praecellentibus committeretur. Alium deinde ordinem pro Altaris ministris Deo placuit constituere. Tribum elegit, et ex sola Aaronis familia ministros sacros existere oportere sancivit. Hoc pacto ad Iesu Christi Sacerdotium via parabatur. Ipsius erat veritatem umbris sufficere, et unico sacrificio varia, quae praecesserant sacrificia, consummare. Hinc ad maximum perfectionis gradum sacrum ministerium erigere voluit. Non amplius de familia in familiam haereditarium, aut uni adnexum tribui hoc esse debebat. Ipse sibi reservavit ius quem sibi lubitum esset ad hoc ministerium vocandi. Ipse distinctam hanc hominum classem voluit instituere, qui Religionem administrarent. Ipse ministros suos ordinavit, iussitque, ut nullum sibi eligerent successorem, qui divinae vocationis indicia non exhiberet. Hinc ritum quemdam peculiarem stabilire voluit Christus, quo

sacri ministri ab hominibus reliquis segregarentur, et quo una cum potestate divina munera exercendi gratia quoque tam augustum ministerium rite obeundi in ipsos derivaret. Ritus iste, ut legitur in Actis Apostolicis, in manuum impositione et oratione consistit, Sacrique Ordinis nomine insignitus ab omnibus Ecclesiis semper habitus est verum et proprium novi foederis Sacramentum, quo Altari inserviturus a ceteris segregatur, eidem ministerii potestas et gratia confertur, et per indelebilem characterem ipsius vocatio ad sacra obeunda munera obsignatur.

II. Apostoli a divino Praeceptore edocti, sacrumque ministerium rite aestimantes, in habitis a se Ordinationibus summae illius cautionis et prudentiae, quae in tanti momenti negotio adhibenda est, splendidum exemplum praebuerunt. Ut de divina vocatione caelesti lumine certiores fierent, fervidiores preces Ministrorum delectum praecedebant: solaeque rationes, quae ad manus imponendas determinarent, erant sacrarum litterarum scientia, excellens sanctitas, singularis pro Dei gloria, et animarum salute zelus, et virtus perfecta bonorum operum exercitio, et publico populi testimonio comprobata. Legantur actus Apostolorum, legantur Sancti Pauli epistolae ad Titum et ad Timotheum; apparebitque, quanta in sacrorum ministrorum delectu circumspectione uterentur, et quam fortiter eam suis successoribus inculcarent: *Nemini cito manus imposueris: probentur primum, et sic ministrent: nemo assumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, aliaque similia S. Paulus saepe repetebat. Nec generatim tantum cautionem hanc commendare contentus fuit. Peculiares etiam dotes et virtutes singillatim recensere voluit, quae ministris ecclesiasticis necessariae sunt. Requisitas in Episcopis, Presbyteris,

Dia-

Diaconis, ex quibus constat instituta a Christo Hierarchia, qualitates accurate descripsit, uti ex epistolis a S. Paulo ad varias Ecclesias directis agnosci facile potest.

III. Huius apostolici spiritus depositaria et haeres Ecclesia Apostoli vestigiis insistens suas pro sacrorum ministrorum ordinationibus leges efformavit. Fidelium neminem ad Sacerdotium assumi posse statuit, nisi baptismalem innocentiam conservasset. Proprio enim sensu intelligebat S. Pauli verba: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse; oportet esse sine crimine*; et quamvis ipsa nosset quaelibet delicta per dignam poenitentiam expiari posse, hoc tamen pro sacri ministri electione sufficere nolebat. Peccatum enim illis temporibus irregularitatem constituebat, quae a sacro ministerio perpetuo excludebat. Statuta lex erat: *ex poenitentibus, nemo quantumvis sit bonus, clericus ordinetur*. Adeo hac in re rigida fuit Ecclesia, ut non solum peccatum, sed et ipsam incontinentiae suspicionem pro canonico impedimento haberet. Hinc lege cautum erat, ut a sacra ordinatione bigami excluderentur. Sola morum puritas, vitaeque innocentia in ministrorum delectu respiciebatur. Tunc quaedam impedimenta, quae ex corporis defectibus postea constituta sunt, pro nihilo habebantur. *Si quis*, legitur in canone apostolico, *vel oculo orbatus, vel femore oblaesus, Episcopatu autem dignus sit, fiat*. Et Episcopus quidam apud Palladium dicere solebat: *Lex vetus in usu sit apud Iudaeos; mihi autem si vel truncatis naribus adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo*. Soli animae defectus tunc temporis sacrae ordinationi obicem opponebant.

IV. Hinc in exploranda ordinandorum vitae puritate, et signis vocationis ecclesiasticae unice in-

tendens Ecclesia, varios stabilire voluit gradus; quales sunt Subdiaconatus, et quatuor Ordines, qui minores appellantur, non tantum pro officiorum ecclesiasticorum necessitate, quantum pro diuturno eorum, qui ordinandi essent, experimento; *ut*, quemadmodum Amalarius ait, *ad Sacerdotalem gradum productior esset ascensus*. Ad hunc finem Ecclesiae disciplina de interstitiis inter unum et alterum ordinem servandis referebatur. Observabantur haec, ut longiora et tutiora Clericorum vocationis experimenta haberentur. Hinc si Clericorum quis vitae sanctitate distinguebatur, et dignus aestimabatur, qui ad Ordines sacros ascenderet, ipse ad Diaconatum, aut ad Sacerdotium promovebatur, licet inferioribus gradibus initiatus non esset, neque ordinatus *per saltum* dicebatur, quemadmodum postea dictum est propter inductam disciplinae ecclesiasticae mutationem.

V. Noverat praeterea Ecclesia unicum sacrarum Ordinationum titulum esse Ecclesiae necessitatem, et utilitatem; Sacerdotem ad fidelium sanctificationem, instructionem, et Sacramentorum administrationem ex divina institutione adstringi, atque hac solum de causa ministrum Ecclesiae posse praeberi. Hinc non alius erat Ordinationum titulus quam Ecclesiae ministerium; quae disciplina usque ad saec. XII. tanta severitate fuit observata, ut inter plures, quae invaluerant, abusiones nondum quis Presbyter ordinatus fuerit *absolute*, ut Synodus Chalcedonensis loquitur, nempe quin Ecclesiae inserviendae destinaretur. Ordinationes Sacerdotum, quae dici possunt *in partibus*, ad ea usque tempora inauditae fuerunt. Si quis Ecclesiae minister non fuisset ordinatus pro animarum salute, pro administratione Sacramentorum, pro populi instructione, ille in hierarchico Christianae Ecclesiae ordine veluti monstrum habitum fuisset. Ordinatio,

Be-

Beneficium, et Ecclesiae ministerium tunc synonima credebantur.

VI. Quamdiu Ecclesia principia haec in sacrorum ministrorum delectu secuta fuit; florentem ecclesiasticum Ordinem, suorum Pastorum decus amplificatum, suppeditata christiano populo excellentium virtutum exempla, fidem, morumque puritatem propagatam, et magis magisque auctam fidelium pietatem ingenti cum gaudio conspexit. Beata illa Ecclesiae saecula sacerdotalem fraternitatem universam nobis exhibent, veluti unam familiam per totum orbem dispersam, et mutuae communionis vinculis colligatam; de hoc uno sollicitám, ut virtutem excoleret, et fidem, charitatem, et divinae legis observantiam in populis excitaret. Uno eodemque spiritu universum agebatur Sacerdotium. Una cum Episcopis et sub Episcopis fidelem populum in concordia sancta, et fraterna consensione Presbyteri gubernabant. Singuli propriis quibus destinabantur muneribus obeundis intenti longe a contentionibus, rixis, aemulationibus aberant. Scopus unicus erat animarum salus; instructio, Verbum Dei, Catechismus, Sacramentorum administratio, spiritualis populorum directio unica erat eorum exercitatio. Sacerdotii maiestas aedificationi erat fidelibus, venerationi gentibus, inimicis terrori et confusioni. Sed abierunt beati illi dies, qui adeo pulchram hominum oculis Iesu Christi Ecclesiam reddiderunt. Nova principia veteribus subrogata fuerunt, quibus ecclesiastica disciplina in Sanctuarii ministris eligendis corrupta fuit; et infeliciorum circumstantiarum concursu ad eum corruptio venit excessum, ut Ecclesiasticorum numerus, et vivendi ratio Sacerdotalis Ordinis contemptum pepererit, sacrae et civili reipublicae pondus inutile fuerit, et pro Iesu Christi Sponsa perennis fons lacrimarum.

VII. Pro temporum infelicitate latiori in sensu intelligi coeptum est Apostoli effatum : *oportet Episcopum sine crimine esse*. Saeculo undecimo peccata publica ab occultis distincta fuerunt. Huic distinctioni S. Petrus Damiani se opposuit, eamque canonicis sanctionibus repugnantem demonstravit: Interrogavit hac in re Romanum Pontificem Leonem IX. qui respondit, ubi de occultis criminibus ageretur, quid factu opus sit cum peccatoribus, Episcoporum iudicio esse reservandum. Ceterum id a se dici addidit *secundum indulgentiam non secundum imperium*. Verum iam a saeculo nono obtinuerat huiusmodi distinctio Decretalium Isidori auctoritate, quae cum a Gratiano antiquis canonibus oppositae repertae fuissent, aditum aperuerunt admittendi generatim publicorum ab occultis criminibus distinctionem, statutumque fuit, ad apostolicam sanctionem sartam tectam servandam sufficere, si ordinandus a quolibet peccato esset immunis, cum Ordinationi se sisteret.

VIII. Huic disciplinae prolapsioni occurrere studuit Ecclesia, verum cum propter temporum calamitatem non posset illam ad pristinam integritatem revocare, variis decretis sategit, ne prolapsio in peius laberetur. Praeter publica crimina, etiam alia notare voluit; quae licet occulta ab Ordinibus arcerent. Interim vero haec crimina, quae irregularem peccantem efficiunt, in iure Canonico expressa fuerunt; et inde creditum fuit, per haec sola indignum reddi sacra Ordinatione, qui ea admiserit. Hinc per aliquod tempus non aliud de ordinandorum moribus examen institui consuevit, quam circa peccata irregularitatis, donec sacrum Tridentinum Concilium Pastores de obligatione admonuit vitam ordinandorum examinandi, eosque a sacro ministerio pro quolibet delicto etiam occulto excludendi, quin in huius inviola-

la-

labilis muneris sui exercitio impediri queant, per quamlibet dispensationem, sive ut aiunt licentiam *de se promoveri faciendo*.

IX. Altera quoque causa disciplinae, de qua loquimur, prolapsioni cooperata est. Falsa quaedam Isidori decretalis ad credendum induxit, minores Ordines Ordinibus sacris necessario esse praemittendos. Hinc nata opinio est, superiorum Ordinum vim et quasi validitatem a susceptis minoribus dependere. Quare statutum fuit, ut qui ad Sacerdotium absque minoribus Ordinibus ascenderet, ordinatus per saltum iudicaretur, declararetur irregularis, et ad supplendum, quod omissum fuerat, adstringeretur. Hinc gradus istos ecclesiasticos veluti partes sacris Ordinibus essentiales, et veluti totidem Sacramenta considerare homines consueverunt; et sic illâ persuasione paulatim abolitâ, qua huiusmodi inferiores gradus ad capiendum de Ordinandis experimentum destinati credebantur, opinio invaluit, minoribus initiatos quasi ius habere, ut ad Diaconatum, et ad Sacerdotium admitterentur. Atque haec opinio multis Ordinationibus facilem aperire viam debebat: etenim ut quis Clericus ordinaretur, parum aut nihil exquirebatur; qui vero iam ordinatus erat, quodam veluti iure donatus iudicabatur, ut ad superiores Ordines promoveretur.

X. Sed nihil magis Ecclesiam, et Statum inutili Sacerdotum otiosorum malorumque pondere oneravit, quam male intellectum Synodi Lateranensis sub Alexandro III. decretum. Constitutum in eo fuit, ut si quando ordinatus Sacerdos, unde honeste viveret ex proprio non haberet, ordinator Episcopus ipsi, quod opus esset, suppeditare cogeretur. Hinc novus Ordinationis titulus, nempe Patrimonii titulus natus est, qui a saeculo XIII. usque ad aetatem

no-

nostram ferme ubique est receptus. Tunc non Ecclesiae ministerium, Presbyterum ordinandi titulus aestimari coepit, sed potius ecclesiastici aut patrimoniales proventus, unde ipse viveret. Hinc nata inter Ordinem et Beneficium distinctio. Hinc illa Clericorum persuasio, non teneri se Ecclesiae inservire, nisi aut animarum curae addicti essent, aut bonis ipsius unde viverent uterentur. Hinc singularis primorum Pastorum Clericis potius, quam Ecclesiis providendi sollicitudo; et hinc denique illa infinita inutilium Ecclesiasticorum copia, quae fidelibus scandalo est, et dolore afficit Ecclesiam Christi.

XI. Sub huius opinionis praetextu, posthabitâ Ecclesiae utilitate, pro Clericorum potius commodo Beneficia adaucta sunt. Multiplicata sunt Beneficia simplicia, Capellaniae, iura Patronatus, quae pro Ordinationum titulo recepta fuerunt, et una cum Beneficiorum multiplicitate supra modum multiplicatus est Presbyterorum numerus; et dum propter utilium Operariorum inopiam Ecclesia gemit, frequens Cleri copia in otio, in dissipatione, in ignorantia, in vitae commodis, et voluptatibus iacet. Ex hoc systemate huius generis mala omnino fluere oportebat, Beneficiorum copia Sacerdotum copiam exigebat; necessariae sacris Ministris virtutes paucorum sunt; *rarum enim est omne quod magnum est*, sicuti de ordinandis disserens Zozimus Papa dicebat. Aliunde vero urgebat sollicitudo, ne Beneficia vacarent, et Clericis provideretur. Dum omnis adversus Ecclesiam iniustitia committebatur, timor inerat, ne iniuria Clericis fieret, praesertim si essent, ut dicebatur, *Arctati*. His ergo de causis omni indulgentia et facilitate opus erat, ut ad sacras Ordinationes admitterentur.

XII.

XII. Quam simplicior et fructuosior erat antiquitatis methodus! Aequum est, ut qui Altari inserviunt, de Altari et vivant. Verum haec illorum subsistentia ab Ecclesiae patrimonio derivabatur, cuius depositarius, et distributor erat Episcopus pro Clericorum Ecclesiis inservientium necessitatibus. Liberi erant Clerici a temporalibus negotiis, et ad Dei tantum gloriam, et animarum salutem incumbebant. Non ordinabant Episcopi nisi illum Sacerdotum numerum, qui Ecclesiae utilitati necessarius iudicabatur, iisque ex communi oblationum fidelium massâ necessaria subsidia suppeditabantur. Non latent causae, ob quas ab hac tam laudabili consuetudine declinatum fuit. Sed gratias Deo, qui in Religiosissimi Principis nostri animo verum domus Dei zelum excitavit, quo introductas in Ministrorum electione, et collatione Beneficiorum abusiones reformare sollicitus, optimis Constitutionibus providit, ut res huiusmodi antiquae simplicitati, et puritati illius disciplinae restituerentur, quae primis temporibus adeo utilis fuit Ecclesiae et Reipublicae.

XIII. Hinc summopere gratulamur de *Motuproprio* Regiae Celsitudinis circa Pistorienses Paroecias sub die 21. Iulii 1783. (1), tum de *Motuproprio* 28. Iulii 1785. die 5. Augusti promulgato, sicut et de aliis sapientissimis decretis ad Beneficia, et ad Clerum spectantibus (2), quorum spiritus eo tendit, ut iuxta primaevum morem communis Patrimonii Ecclesiastici massa ex reditibus beneficiariis efficiatur, qui pro temporum infelicitate dispersi erant, et

(1) Vide Append. n. XIV.

(2) Vide Append. n. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

et contra ipsorum institutionem divisi, quae alia non erat, quam ut externo templorum cultui, Sacrorum Ministrorum sustentationi, et pauperum subsidio inservirent. Hoc pacto facile est laboriosos, et religionis studio ardentes homines ad Ecclesiae ministerium promovere. Cum enim supradictorum redituum distributio Episcopi prudentiae commendata sit, ipse iis adminiculis non caret quibus ecclesiasticos adolescentes in solida doctrina et pietate educet, eorum subsistentiae provideat, eos ad Ordines promovens iuxta utilitatem et necessitatem Ecclesiae suae. Secundo abusio inevitabilis declinatur ex antiquae disciplinae corruptione originem trahens, qua saepe contingit, ut dum aliquae Ecclesiae indigentes sunt, superfluis reditibus Clerici abundent. Tertio Beneficiorum Ecclesiasticorum reditus illi restituuntur, et certo deputantur fini, cui religiose servandi erant, immediato nempe Ecclesiae ministerio. Quarto liberatur Clerus a temporalium negotiorum cura, a contractibus, exactionibus, aliisque similibus rebus, ob quas Sacerdotii decus apud homines vilescit, et Ecclesiastici ab ea, quae magis interest, rerum divinarum sollicitudine distrahuntur, cui pro vocationis ipsorum munere destinantur. Quinto per hanc methodum antiquus Ordinationum titulus revocatur non in alio situs, quam in Ecclesiae utilitate, et necessitate; et introductus postea titulus patrimonii aboletur, quo plerumque otiosi Reipublicae cives, et inutiles Sacerdotes Ecclesiae procreantur. Denique cum Pastorum necessitatibus per aequam distributionem satis provisum sit, turpis abusio tollitur, ullam umquam exigendi eleemosynam pro Missa celebranda, et pro Sacramentorum administratione, sicuti et quemlibet accipiendi proventum, qui *stolae* dicitur; ac generatim quod-

cum-

cumque stipendium, atque emolumentum, quod suffragiorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione ipsis offerretur, revocatis hoc pacto Ecclesiasticis in omnium parochialium munerum exercitio ad verum spiritum charitatis, et liberalitatis. Quamobrem providas huiusmodi constitutiones agnoscimus Ecclesiae spiritui, et redituum ecclesiasticorum fini consentaneas, et ad promovendum Sacerdotii decus, et fidelium aedificationem aptissimas.

XIV. Inter ceteras utilitates, quas ex suscepta reformatione speramus, hanc non minimam credimus, quod nempe de ecclesiastica eorum vocatione, qui ad Ordines promovendi sunt, certiores, quantum fieri potest, efficimur. *Sacerdotalis status*, observat sapienter Religiosissimus noster Princeps in articulis, quos Episcopis Synodisque proposuit, *gravibus adeo muneribus obligatur, ut ad illum amplectendum superflua non sit diuturnior, et prudentior consideratio*. Hinc sapientissime ab ipso suggestum est, ne habitus clericalis deferendi licentia ante annos decem et octo concederetur, nisi iis, qui una in Seminariis viverent, et Ecclesiarum ministerio addicti essent; qua tamen in re optandum esset, ut a Cathedralibus, et Collegiatis inferiores Clerici aliquatenus subducerentur, dummodo aliter consultum esset ministerio, quod Ecclesiis huiusmodi exhibere solent Clerici cum tanto morum et studiorum neglectorum detrimento. Aequo scilicet assignato mensuali stipendio, probi laici eligi possent, qui Missis deservirent, aliisque officiis fungerentur. Hanc rationem suggessit Concilium Tridentinum pro iis locis, ubi adolescentes Clerici desunt. Pro aliis vero Ecclesiasticis officiis, quae quidem ab illis Clericis exercentur, provectioris aetatis viri deligi possent, ut vetus ferebat consuetudo, quando huius generis officia non

ad

ad meram speciem pro maioribus Ordinibus suscipiendis redacta erant, sed veluti praemium pietati, et interdum etiam toleratis propter fidem passionibus debitum habebantur. Ita sublato Cathedralium et Collegiatarum hoc minutulo Clero, qui cum tanto bonae Clericorum disciplinae detrimento ridiculo praetextu necessitatis inserviendi Missis, versiculosque cantandi adhuc retinetur, omnium Clericorum in doctrina et pietate in locis ab Episcopo destinatis educatio facilius obtinebitur.

XV. Approbamus pariter, quod supremis decretis insinuatum fuit de Clericorum examine, ut de ipsorum vocatione certitudo habeatur; quibus decretis nostri optimi et vigilantissimi Episcopi zelus perfecte respondet, nonnullis pariter editis sapientissimis decretis ad hunc finem obtinendum accommodatis. Propositam ab ipso methodum Sancta Synodus approbat pro Clericorum adolescentium examine circa novum catechismum suae Dioecesi prescriptum per encyclicam epistolam diei 1. Maii 1782. (1); et propter singularem ipsius doctrinam et pastoralem sollicitudinem ubi recta studiorum methodus brevi praescripta fuerit, quae adoptatis a nobis doctrinae Iesu Christi principiis inhaerens pro regula sit Magistris, Lectoribus, et adolescentibus ecclesiasticis, sperat insuper desideratam adeo consensionem doctrinae tam circa fidem, quam circa mores et praxim in universa Dioecesi observatam iri. Cum Ordinandorum examine circa eorum in studiis progressum, morum honestatem, et signa vocationis Concilium hoc arbitratur valde opportunum statuere, ut Examinatores Synodales sint Parochi, et Rectores, et Magistri eorumdem Cle-

(1) Vide Append. n. XXVIII.

Clericorum in Seminario, et Academia ecclesiastica, qui prae ceteris de ordinandorum indole, et moribus, et de ipsorum in studiis aetati respondentibus profectu rationem reddere possunt.

XVI. Cum ab uno ad alterum Ordinem transitus fit, eadem de vocatione, de studiis, et de moribus experimenta cum omni severitate renoventur oportet; doctissimeque simul, ac peramanter a Regio Principe nostro insinuatum fuit, ut quoties in qualibet promotione ante Subdiaconatum in aliquibus aut vocationis defectum, aut nullam ad studia habilitatem Episcopus cognoscat, non iam ordinationem differat, sed sincere et humaniter moneat, ut mature studia sua aliô convertant, nec commiserationis causa illis blandiatur, et ita aut illos sine ullo vitae sustentandae adminiculo dimittat, aut propter importunitatem licet ineptos ordinare cogatur.

XVII. Hinc vero magis ac magis necessitas comprobatur summae circumspectionis, summique rigoris in iis ab uno ad alterum Ordinem promovendis, ut maior, quae humanae infirmitati possibilis sit, certitudo vocationis ecclesiasticae obtineatur. Hoc vero quam maxime observandum est, ante quam per Subdiaconatum irrevocabili perpetui coelibatus lege adstringantur. Diligentiores, et diuturniores considerationes circa ordinandorum indolem atque virtutes numquam erunt superfluae, ut solide sperari possit, speciale continentiae donum ipsis a Deo concessum iri, sine quo frustra quis se custodire eam posse confidit. Diuturna dumtaxat experientia, et verae vocationis ecclesiasticae indicia spem hanc iustam firmamque exhibere possunt. Huius necessariae cautionis defectu accidit, ut quod splendidius Sponsae Iesu Christi ornamentum deberet constitue-

re,

re; saepe amarissimis lacrimis ipsi causam praebeat. Hinc optandum esset, ut Clerici ad Subdiaconatum non se sisterent, nisi aetate provecta, suisque viribus serio expensis, posteaquam nempe ex sacris studiis ea munera, quibus obligantur, didicerint, et status, quem amplexuri sunt, excellentiam cognoverint. Saltem opportunum maxime crederet haec Sancta Synodus, ut Subdiaconatus, exceptis extraordinariis casibus, in quibus aliquae circumstantiae Episcopum, ut secus ageret; determinarent, usque ad aetatem annorum viginti quatuor differretur, et ab interstitiis Ordinum potius Episcopus dispensaret, cum talem indulgentiam urgens Dioecesis suae necessitas exigeret, quemadmodum etiam florentioribus Ecclesiae temporibus aliquando factum novimus.

XVIII. Nobis quoque conveniens videtur, cum de illis canonicis impedimentis agitur, quae ex delictis in iure expressis profluunt, ut aiunt, ullam umquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem, ut hoc pacto umbra saltem aliqua veteris ecclesiasticae disciplinae retineatur. Dictum est supra, quomodo hac in re disciplinae prolapsio contigerit. Frenum crescenti malo constituere Ecclesia voluit, quibusdam criminibus determinatis, quae irregularitatem producerent. Quae tam frequenter concedi solent dispensationes, nullum et inefficax remedium faciunt, quod ipsa relaxationi opponere studuit. Quod vero pertinet ad impedimentum canonicum, quod ex aliquo corporis vitio provenit, et quod usque a saeculo IV. constitutum fuit, nullam contrahi irregularitatem evidens est, si vitium eiusmodi non sit, quod sacrorum munerum exercitium impediat, aut sine gravi scandalo et prorsus indecore eadem obire non permittat. Haec est semper a iure canonico indicata ratio. Iam vero si

cor-

corporalis deformitas talis est, ut scandalum generare possit, aut ministeria impedire, tunc nullam admittere dispensationem optimum est; si secus, nulla habetur irregularitas. Cum igitur ad Episcopum spectet de deformitatis natura iudicium ferre, ad ipsum pariter pertinet definire, an qui aliquo corporis vitio laborat, ad Ordines sit promovendus. Tandem si de iis canonicis impedimentis agatur, quae in iis constituta fuere circumstantiis, quae locum amplius non habent, contra vero excellentes doctrinae et pietatis dotes, aut urgens Dioecesis necessitas praevalere possit, Episcopus pro locorum, temporum, et personarum circumstantiis prudenter definire poterit, utrum indulgentia ac dispensatione uti satius sit.

XIX. Hac in sacris ministris eligendis servatâ methodo sperandum est, optimis Sacerdotibus Ecclesiam donandam fore. Quoniam vero *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, ita hoc sacrum Concilium valde necessarium putat, ut singuli Sacerdotes tempore praesertim quod Ordinationes praecedit, et quatuor Ecclesiasticis temporibus fervidiores ad Deum preces fundant, ut in vineam suam charitate flagrantes operarios mittere dignetur, suasque benedictiones super ordinandos effundat, unde divinae gratiae donis instructi fidelium aedificationi, Reipublicae utilitati, et Ecclesiae consolationi esse possint. Hac ipsa de causa opus est, ut Pastores omnes praecipue in quatuor iis sacris temporibus populum exhortentur, ut preces suas cum Cleri precibus coniungant; atque ut fideles ad hoc perficiendum ardentius excitentur, admonebunt illos Parochi, quanti ipsorum intersit bonorum ministrorum electio, iisque augustam sacrorum Ordinum et Sacerdotii dignitatem, necessaria or-

dinandis virtutes, denique causas, quae iuxta Canonum praescriptum eos sacra Ordinatione indignos reddunt, saepe explicabunt. Sic enim fideles edocti quam eximia sanctitas in sacris ministris requiratur, necessitatem deprecandi Deum melius cognoscent, illis praesertim quatuor sacrorum temporum diebus ab ipsa Ecclesia statutis, ut ad imploranda a Deo per ieiunium et orationem primo Dioecesis Pastori necessaria pro Ordinandorum electione lumina, et super ipsos Ordinandos suarum gratiarum copiam populus excitaretur.

XX. Denique sacra Synodus sui muneris esse putat, sapientes et providas optimi Principis constitutiones commendare circa Beneficiorum collationem, per quam, uti supra observatum est, saeculorum decursu infinitae corruptelae et abusiones introductae fuerant. Nihil magis canonibus sacris consonum est, quam indicatus *Motus proprius* diei 28. Iulii 1685. (1), quo statuitur, ut ecclesiastici proventus vero et legitimo ipsorum fini inserviant; et inde praescribitur, ut Beneficia simplicia tam collationis ecclesiasticae, quam regiae nominationis, et privati patronatus iis tantum conferri possint, qui vere Ecclesiae ministraverint, aut ministrent, aut ad necessaria studia excolenda, et exercitia praestanda idonei sint, quibus eidem valeant inservire; nunquam vero illis conferantur, qui iisdem veluti patrimonialibus reditibus fruituri sint, aut eosdem sola clericalis habitus delatione usurpaturi. Ut vero non solum futuro malo, sed etiam quantum fieri potest, praeteritis abusionibus remedium afferatur, prudentissime a Reg. Celsitudine Episcopis insinuatum est, ut pro sua

(1) Vide Append. n. XXVI.

sua quisque vigilantia novos Beneficiarios etiam simplices Ecclesiae ministerio adstringant, data suspendendi illis reditus percipiendi potestate, qui huiusmodi Beneficiis collationis ecclesiasticae perfruentur, si suis muneribus desint, et similiter hanc suspensionem postulandi pro iis, quae regii iuris sint, aut privati patronatus. Et quamvis Episcopis Princeps permittat, ut prudenti utantur tolerantia erga illos, qui huiusmodi Beneficia possiderent, praesertim aetate provectiores, quibus se novo systemati accommodare difficile esset, saltem Episcopum hortatur Synodus, ut a Beneficiariis simplicibus qui opulentiores sunt, impetret, ut aliquid subsidii Ecclesiis, quae magis indigent, subministrent.

XXI. Istae leges et regulae eo nituntur inconcusso principio: quemlibet Sacerdotem certam in Ordinatione obligationem contrahere populo et Ecclesiae inserviendi in omnibus Sacerdotio inhaerentibus ministeriis; quoniam vero comperta res est, non unicum esse simplicis Sacerdotis munus Missae celebrationem, sed eorum quemlibet adstringi, ut per Sacramentorum administrationem, instructionem, exhibitam infirmis et morituris adsistentiam, et praestitum Parochis in eorum officiis adiutorium Ecclesiae inserviat, ideo numquam satis commendari poterit, quod Regius Princeps insinuat, ut Episcopus modum exquirat, quo in Dioecesi sua singulos Sacerdotes pro viribus et modulo suo operosos, et utiles reddat. Hinc Sacra Synodus zelum et sapientiam laudat Episcopi, qui accurate hac etiam in re piis Reg. Cels. consiliis ac menti respondet, singulis quidem Sacerdotibus residentiale beneficium possidentibus illi Ecclesiae incardinatis, ubi beneficium institutum est, simplicibus vero Presbyteris parochiali Ecclesiae, in qua commorantur, ut in ipsa sub Parocho constituti functioni-

nibus sacris adsistere possint, et omnia quorum capaces erunt ministeria, dirigente Parocho, exercere; qui demum Parochus singulis sex mensibus de ipsorum vivendi ratione, et munerum exercitio Episcopo rationem reddat. Quod vero pertinet ad frequentem Cathedralis aut Collegiatae Clerum, approbat Synodus, ut praescripta methodus pro Collegiatis Pratensibus in regio edicto 22. Iulii 1783. §. 25. (1) excutioni mandetur, ubi Capellanis, qui Ecclesiis Carcerum et Lilii supradditi sunt, praescribitur, ut praeter quotidianum ipsarum officium onus etiam subeant audiendi confessiones aut in his Ecclesiis, aut in aliis urbanis vel suburbanis, ubi et Missam celebrare, et Parochum iuvare possint, iuxta Episcopi aut Vicarii iussum, aut etiam officio supplere possint Monialium confessiones excipiendi. Nimis enim ad Ecclesiae bonum, et animarum salutem refert, ut Sacerdotes omnes adnexa characteri suo ministeria exequantur. Quam ob rem Episcopum Synodus hortatur, ut sollicitudinem suam etiam ad Cathedralis Capitulum convertat, et cum aliquorum Parochorum, et Canonicorum consilio provideat, ut haec etiam Cleri pars utilior Ecclesiae constanter efficiatur.

XXII. Interim Canonum sanctionibus inhaerens Sancta Synodus declarat, Ecclesiae bono, et animarum saluti prorsus necessarium esse, ne plura residentialia Beneficia in eodem Sacerdote multiplicata tolerentur, et idcirco hac in re quamlibet derogationem, aut dispensationem cuiuscumque generis esse reiiciendam, cum praecipuo disciplinae ecclesiasticae capiti deroget, et veluti prava abusio consideranda sit. Pro certo pariter habemus, iuxta Ecclesiae spiritum pluribus Be-

(1) Vide Append. n. XXIX.

Beneficiis etiam simplicibus frui neminem posse. Verum hac in re Regii Principis sententiam Episcopis insinuatam maxime commendamus, omnia coniungendi Beneficia simplicia collationis, aut patronatus ecclesiastici, et praevio assensu regio patronatus Communitatis, aut Locorum Piorum, eaque collectis officiis et Missarum legatis augendi, ut hinc unica massa efficiatur in patrimonium ecclesiasticum reducenda, unde pro indigentibus Ecclesiasticis congrua subsidia extrahantur. Donec autem REGIAE CELSITUDINI placuerit quidpiam de Patronatibus laicis decernere ex eo quo praeditus est Princeps iure pias Defunctorum voluntates in melius convertendi, Sacrum Concilium Domino benedicit, quod Principem excitaverit, ut animos Episcopis adderet praesentatos sibi a Patronis Clericos reiiciendi, quando post serium examen eos ineptos iudicaverint, qui in cura pastorali animarum saluti utiliter inserviant; quoniam Patronorum ius eo usque non extenditur, ut minus aptum populo ministrum exhibeant, istique iuri illud praeferendum certe est, quo gaudet populus, ut per bonum ministrum iuvetur et instruatur. Ita Episcopis liberum auctoritatis suae exercitium restituitur, bonisque et charitate ardentibus ministris Ecclesia donatur. Hinc numquam satis inculcare possumus executionem Encyclicae 2. Martii datae an. 1782. et alterius 6. Iunii eiusdem anni (1).

XXIII. Utilissime simul et sanctissime provisum fuit, ut Parochis, ubi opus fuerit, Capellani Coadiutores congruo assignato stipendio adiungerentur: Ita siquidem et a nimio onere sublevatur Parochus, et Paroeciae regimini melius consultum est, et Coadiutores, dirigente Parocho, in cura animarum erudiuntur,

(1) Vide Append. n. XVII. XVIII.

tur, aptique fiunt, qui ad Paroeciae ipsius regimen, ubi vacaverit, promoveantur. Qua in re valde convenire Synodus iudicat, ut in Paroeciarum vacatione, ubi par meritum sit et necessariis pro animarum regimine dotibus sit instructus, primus ex Capellanis promoveatur. Singulos autem principales Pastores in Domini visceribus hoc sacrum Concilium exhortatur, ut Coadiutores suos non veluti servos habeant, sed veluti fratres et in curae pastoralis exercitio Cooperatores. Quippe dominationis, asperitatis, et superbiae spiritus in regno Christi habere locum nequit; quod regnum scilicet est dulcedinis, charitatis, ac persuasionis. Qui primus dignitate est, humilitate cordis ultimus esse debet, sicuti docuit Christus; primatusque in Ecclesiae regimine non aliud secum fert, quam pondus, ac maiorem oneris partem, ardentiorem zelum, et efficaciorem in animarum salute procuranda sollicitudinem. Hinc Parochus principalis quantum ad populi sui aedificationem et salutem pertinet, exemplo, labore, et pastorali sollicitudine ceteris praecedat oportet. Non Parochis adiutorio, sed potius salutis consequendae impedimento Coadiutores essent, si aut alienis a sacro ipsorum ministerio officiis addicerentur, aut ipsorum in pastoralium munerum exercitio negligentiae fovendae inservirent. Cooperatoribus autem Parochi debitam inculcat Synodus subordinationem, vigilantiam, in propriis muneribus exequendis zelum, et in dividendis cum ipso pastoralibus curis amoris et charitatis spiritum, qui illos sub Parochi directione ad populi salutem cum sancta aemulatione procurandam coniungat, et unum cor animamque unam efficiat.

XXIV. Una ex praecipuis pastoralibus curis instructio populi est. Veritates enim Religionis plene edoctus populus per Dei gratiam vitae aeternae fru-

fructus producet, suique Pastoris erit consolatio. Atqui amantissimus Episcopus noster in pluribus epistolis pastoralibus gravissimum fideles instruendi munus, et illius adimplendi modum suis Parochis inculcavit. Ipse meliores libros indicavit, ex quibus plenâ et solida populi instructio hauriri possit; nos vero praescriptum ab ipso per epistolam encyclicam diei 1. Maii 1782. pro adultis usum optimi Catechismi Neapoli typis editi, postremo autem Venetiis hoc titulo: *Educazione ed Instruzione cristiana, o sia Instruzione generale sulle verità cristiane in forma di Cateschismo*; veluti pro synodali lege suscipiendum volumus. Pro parvulis pariter approbamus Episcopi Lugdunensis catechismum, qui nunc Prati rursus imprimitur, et a plerisque Parochis adhibetur; novissime autem ab Episcopo nostro adoptatus est, et ab aliis tribus Venerabilibus eius Confratribus, nempe ab Episcopo Cortonensi, ab Episcopo Colliensi, et ab Episcopo Clusiensi et Pientino, qui tres una cum ipso Catechismum quoque pro adultis adoptaverunt (1).

XXV. Indicatis praescriptionibus constitutis, quae praecipua capita respiciunt pro sacrorum ministrorum electione, Beneficiorum collatione, et Cleri decore atque honestate, quae circa res alias pro perfecta Dioecesis reformatione disponenda erunt, suggeret Sancta Synodus, quoties primo ipsius Pastori Confratres suos convocare libuerit. Interim persuasum habens, omnia quae necessaria sibi sunt pro bono Dioecesis sibi commissae regimine a Iesu Christo Episcopum accepisse, ab ipsius doctrina et pastorali sollicitudine sperat, non solum efficacius quam fieri potest executioni mandatum iri, quae

Q 4 una

(1) Vide Append. n. XXX.

una cum ipso in hoc sacro Conventu praescripta sunt, sed ipsum praeterea signatis vestigiis semper insiturum, totoque animi ardore absolutissimam ecclesiasticae disciplinae reformationem prosecuturum fore contra omnes consuetudines, aut exemptiones, aut reservationes, quae recto Dioecesis ordini, maiori Dei gloriae, et fidelium aedificationi adversantur. Habet enim pro certo Synodus, Episcopum esse immediatum Dioecesis sibi commissae Pastorem, et accepta a Iesu Christo iura pro Ecclesia gubernanda eius esse naturae, ut nullo modo immutari, aut impediri possint; et quamvis in aliquibus circumstantiis ipsorum exercitium aut cessione, aut abusu, aut alia qualibet causa fuerit interruptum, posse tamen Episcopum semper, immo et debere originaria sibi iura vindicare, quoties maius Ecclesiae suae bonum id postulet.

DE

DECRETUM

DE MATRIMONIO.

§. I.

Si quaepiam in Sacris veteris Testamenti litteris magna cum perspicuitate expressa veritas reperitur, divina Matrimonii institutio est, quatenus officium est naturae in arctissima duorum diversi sexus societate et coniunctione situm, ut in communibus vitae necessitatibus vicissim adiuventur, praecipue vero prolem suscipiant, et ad virtutem instituant.

II. Verum mox a primaeva Matrimonii institutione carnales durique cordis homines declinaverunt; immo vel ipsi sub lege Moysis Iudaei similiter aberrantes vixerunt. Quare cum opera tum naturae tum legis perficere Christus voluerit, illud ad primam institutionem integre restituit, et tum suis verbis ipse, tum per Apostolum Paulum declaravit, perfecti matrimonii vinculum nisi per unius ex coniugibus mortem dissolvi non posse.

III. Neque hoc satis fuit sapientissimo, et amantissimo Redemptori nostro, et Legislatori Christo Iesu; voluit enim, ut matrimonium inter discipulus suos argumentum esset coniunctionis suae cum Sancta Ecclesia, in sacris Scripturis Sponsae suae dilectissimae nomine indicata; unde in maritum capitis dignitas et auctoritas profluit; et proprio insuper sanguine illud obsignavit iuxta constantem SS. Patrum

trum Ignatii, Tertulliani, Cyrilli, Ambrosii, Augustini; aliorumque multorum traditionem, omnipotentis gratiae suae benedictionem ipsi adiecit, quae contrahentium animas sanctificaret, et in promissa sibi fide firmiores faceret, aptosque redderet ad gravissima proprii status munera rite adimplenda. Quam ob rem ab iisdem Patribus, pluribusque Conciliis, clarius vero a Tridentino edocti confitemur, Matrimonium esse verum et proprie dictum legis evangelicae Sacramentum, inter septem a Iesu Christo instituta adnumerandum.

IV. Iure igitur idem Sacrosanctum Concilium, cum illorum temeritatem compescere sibi proposuisset, qui subducto a Sacramentorum numero Matrimonio, Ecclesiae quoque spiritualis potestatis ab eius divino Institutore concessae partem eripiebant, declarare potuit, controversias, quae circa validitatem, efficaciam, et decoram Matrimonii, quatenus Sacramentum est, administrationem versantur, sicuti et circa necessarias, ut digne recipiatur, animi dotes ad Iudices ecclesiasticos pertinere.

V. Considerantes autem, quod nominati supra Patres Matrimonii gratiam et sanctitatem benedictioni, et orationi Sacerdotum adnectant, quibus ut se sisterent Sponsi, Ecclesia semper mandavit, nisi inter maximos peccatores accenseri vellent, arbitramur, hanc ipsam benedictionem aut orationem, quae licet pro diversis locorum et gentium ritibus diversa verbis sit, eamdem tamen significationem et virtutem obtinet, veluti partem qua Matrimonii Sacramentum constituitur, habendam esse. Hinc affirmare non dubitamus, Parochum unius ex contrahentibus, aut Sacerdotem ab ipso vel ab Episcopo delegatum benedictionis verba proferentem unicum esse verumque Matrimonii ministrum. Nec enim alioquin possemus intelligere,

quo-

quomodo Apostolus a fidelibus postularet, ut Sacerdotes veluti Iesu Christi ministros, et divinorum mysteriorum, nullo excepto, dispensatores agnoscerent. Et in hac confirmamur sententia tum ex non paucis Ecclesiarum catholicarum Ritualibus, tum ex ipsius S. Romanae Ecclesiae Rituali iussu Pauli V. Pontificis edito, in quibus nimirum libris ritualibus Parochus Matrimonii minister aperte declaratur, quemadmodum aliorum Sacramentorum, quae ad summos Sacerdotes, idest Episcopos proprie non spectant.

VI. Quamvis autem inde sequatur Matrimonii contractum natura sua non includere Sacramentum, nequit tamen inferri, Fidelium arbitrio posse unum ab altero separari. Immo cum Sacramentum institutum fuerit ad conferendam, ut explicavimus, gratiam necessariam, ut pondus coniugii sustineatur, idcirco patet illud recipiendi praeceptum, gravisque culpae reum se faceret, qui illud negligeret.

VII. Equidem Iesus Christus verus Deus iuxta ac verus homo omnia quae in caelo et quae in terra sunt, in potestate habebat: verum cum ipse in mundum venerit, ut regnum prorsus spirituale constitueret, atque ut per mortem suam ius ad Regnum caelorum hominibus promereretur, non vero ut iura caduca et mortalia rumperet; ita eiusmodi iurium exercitium Regnantibus liberrimum dereliquit; immo praecepit omnibus, ut terrenis Potestatibus perfecte in omnibus subditi essent, quae ad externam disciplinam pertinerent, sine ulla distinctione, ut Chrysostomus docet, inter laicum, et Evangelistam, aut Prophetam, et Apostolum, aut alium quemcumque. Quare asserere non dubitamus, ad supremam civilem Potestatem plenum ius pertinere eas leges in omnibus contractibus, praesertim vero in contractu matrimoniali, praescribendi, quas familiarum tranquillitati, utilitati, et

de-

decori in propriis ditionibus expedire iudicat. Hinc inferimus, ad ipsam dumtaxat originario iure spectare Matrimonii contractui eius generis impedimenta constituere, quae nullum illum efficiunt, et dirimentia appellantur. Ideo in sacro ritu, qui Matrimonii sanctificationi destinatus est, Sacramentum non agnoscimus, quando contractus ipse a supremis legibus declaratus fuerit irritus, sed eum potius facinus et sacrilegam profanationem esse testamur.

VIII. Haec sane potestas in catholicis etiam Principibus a Sanctis Patribus Ambrosio, et Augustino, a multis Conciliis, et ab ipsis Romanis Pontificibus constanter agnita fuit, praesertim circa impedimentum ex variis cognationis et affinitatis speciebus proveniens, antequam quaedam falsa monumenta spargerentur, quae infelix causa fuerunt corruptionis ecclesiasticae disciplinae tristiumque dissidiorum inter Sacerdotium et Imperium. Ipsi enim non solum plures imperiales leges, quae de Matrimonio etiam nunc leguntur in duobus codicibns Theodosiano et Iustinianaeo, accurate secuti sunt, quoties eas divinae legi naturali aut positivae repugnantes non invenerunt, sed etiam honori sibi duxerunt eas promulgare, commendarunt quoque, illasque in compositis pro ecclesiasticae disciplinae regula codicibus inseruerunt, atque in canones retulerunt.

IX. Quam ob rem cum frequenter observaverimus, sponsalium praetextu, quae non aliud sunt, quam pactum et praeparatio ad Matrimonii contractum iuxta ac Sacramentum celebrandum, plura sibi Sponsos permissa credere, quae divinis et ecclesiasticis legibus adversantur, Principem humiliter supplicare deliberamus, ut omnem in foro exteriori vim ipsis sponsalibus auferre dignetur. Ita cautiores factae foeminae non tam facile cedent amantium blanditiis, et ra-

rariora fient grandia illa stupra, quae turbulentis et scandalosis matrimoniis funestam causam praebent.

X. Constanti quoque experientia edocti, in parvis nec multum frequentibus Dioecesis huius communitatibus, praesentem impedimentorum matrimonialium multiplicitatem gravissimi esse incommodi, damnumque publicum, immo et spirituale offendiculum parere fidelibus nostrae curae commissis, sequi volentes vestigia tot venerabilium sacrorum Pastorum, qui sanctitate et doctrina Ecclesiam illustraverunt, ipsam Regiam Celsitudinem supplicare proponimus, ut dignetur:

1. Ab impedimentorum dirimentium numero cognationem spiritualem auferre, sicuti et quod dicitur publicae honestatis, quorum in collectione legum Iustiniani originem invenimus.

2. Impedimentum tam affinitatis, quam cognationis ex qualibet licita aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum restringere iuxta civilem supputationem per lineam lateralem aut obliquam, ita tamen, ut nulla obtinendae dispensationis spes supersit.

3. Tandem ea matrimonia expendere, quae tumultuarie et ex improviso contrahuntur, absente magis Parocho quam praesente, qui prae timore et tumultu vix contrahentium vocem audit, nec testes in faciem aspicit, qui interdum immutata veste aut armati se sistunt. Quae matrimonia, cum pro actuum civilium multo minoris momenti validitate necessarium sit, ut et Notarius, et testes rogentur, actus potius manifesti contemptus gratiae Iesu Christi, et publici ordinis violationes, quam contractus legitime celebrati videri possunt.

XI. Non semper tamen Principes per se ipsos hoc ius originarium, quod cum dispensandi iure neces-

ceſſario connectitur, per ſe ipſos exercuerunt: immo per plura nobis propinqua ſaecula eius exercitium maxima ex parte Eccleſiae dimiſſum eſſe videtur.

XII. Hoc igitur poſito conſenſu et conniventia confitemur, merito potuiſſe Eccleſiam impedimenta Matrimonii contractum dirimentia conſtituere, nec in iis conſtituendis erraſſe, conſideratis temporum circumſtantiis, uti contra Novatores Concilium Tridentinum rectiſſime definivit.

XIII. Cum Matrimonium et contractus ſolemnis ſit, a quo recti ordinis vis civiliſque Societatis decus praecipue pendet, et inſuper, ut Apoſtolus loquitur, magnum ſit Sacramentum, quando iuxta Chriſti inſtitutionem ſacerdotali benedictione quodammodo obſignatum eſt; nulla diligentia et ſollicitudo ſuperflua Parochis videri poteſt, ut actio tam ſancta, et quae Reipublicae bonum adeo reſpicit, iuxta legum et ſacrorum canonum rigorem perficiatur. Hac de re eo plenius convincentur, quo prudentius conſideraverint, has ſuas paſtorales ſollicitudines aut adhibitas aut omiſſas brevi annorum circulo producere poſſe aut chriſtianam reformationem, aut univerſalem ſui gregis depravationem.

XIV. Quare cum Parochus aliquem matrimonii tractatum noverit, ſi forte de futurorum Sponſorum capacitate aut moribus plene inſtructus non fuerit, prudenter et accurate eius ſibi notitiam comparabit, ut ipſos, ſi opus ſit, ſanctiſſimae Religionis noſtrae ſcientia imbuat, moneatque, ut ne coniugali ſtatu ſeſe obligent ſine maiorum ſuorum conſenſu, quoad fieri poteſt, graviſſimiſque Matrimonii oneribus nondum ſatis cognitis, et mature expenſis; demum ut illos per ſinceram poenitentiam ad illam Sacramenti matrimonii gratiam recipiendam diſponat, quae eadem onera levia et ſuavia ipſis reddere poteſt.

XV.

XV. Ut omnes fideles ad orandum Deum excitarentur, ut supra futuros coniuges gratiae huius thesaurum effundat, atque ut multa, quae Matrimonium aut nullum aut illicitum reddere possunt, impedimenta detegerentur, a generali Concilio Lateranensi sub Pontifice Innocentio III. decretum fuit, ut ubique summopere commendanda praxis futura matrimonia denuntiandi extenderetur, quae in Gallicanis Ecclesiis a propriis Parochis observabatur: quod decretum Tridentini Patres, nonnullis additis declarationibus, accurate observandum praeceperunt.

XVI. Conversio peccatoris, licet in momento perfici possit ab eo, in cuius manu est cor hominis, et qui inspirata sancta delectatione inclinare illud potest, quocumque velit, non est tamen communiter paucorum dierum opus; atque insuper ad ceteros supra indicatos fines obtinendos diuturnum tempus, et populi concursum requiri manifestum est. Hinc primo iis omnibus salutaribus artibus, quas Timotheo et Tito Apostolus suggerebat, Parochi utentur, ut quos matrimonii desiderium tenet, persuadeat, ne promissionibus obligentur, nec petant proclamationes, ante quam conscientiam suam sacramentali Confessione mandaverint, si in Poenitentiae Sacramento suscipiendo negligentes, aut parum integri vitae esse dignoscantur. Secundo tres distinctae proclamationes a Tridentino praescriptae in Missa dumtaxat parochiali fient statim post expositam populo Sancti Evangelii explicationem, eum voce clara et distincta admonendo de obligatione, qua singuli tenentur, impedimenta sibi cognita manifestandi. Tertio optandum esset, ut dies dominici tantum essent illi festivi dies faciendis proclamationibus deputati; quando vero ab illis dispensari oporteat, iuxta supra citati Concilii praescripta definiendum.

XVII.

XVII. Quod pertinet ad homines vagos, qui certam sedem non habent, ut illius S. Concilii spiritum sequamur, qui hac in re Magistratuum civilium auxilium implorat, REGIAE CELSITUDINI proponi poterit, ut horum cuilibet non proferenti testimonium aut licentiam eius, qui ad hunc finem a Principe deputatus sit, proclamationes absolute deneget. Quare cum regius Minister ad hoc deputatus habeatur pro iis, qui Hospitalium filii dicuntur, cum ab ipso Parochi fuerint admoniti, ut pro aliquo ipsorum proclamationes faciant, sine difficultate eas promulgabunt, nulloque legitimo impedimento prodeunte, iuxta circularem Vicariis foraneis directam die 4. Decembris an. 1785. (1) matrimonium celebrabunt. Ut autem Parochus quispiam de suorum parochianorum statu, si opus fuerit, testari possit, iuxta Concilii Tridentini decretum, et promulgatas hac de re a Principe leges (2) matrimoniorum codicem servabit.

XVIII. Et quoniam, more nunquam satis deplorando, matrimonii dies esse solet dies dissipationis et licentiae, Parochis omnibus S. Synodus praecipit, ut novos Sponsos exhortentur, ut pro varia contrahentium dispositione plus minusve communionem sanctam anticipent, aut post matrimonii celebrationem differant.

XIX. Si vero, quod Deo auxiliante, et observatis supra statutis regulis nunquam futurum confidimus, Sponsi aut ignorantes prima Religionis rudimenta, aut in vitiorum coeno immersi ad Ecclesiam sacrum nuptiarum ritum celebraturi se sisterent; quan-

(1) Vide Append. n. XXXI.
(2) Vide Append. n. II.

quando Parochus ex sacramentali confessione id noverit, considerans a paucis verbis solidam instructionem non pendere, et sinceram conversionem non tam a peccatis cessationem, sed etiam non aequivocis signis manifestatam eorumdem detestationem necessario continere, absolutionem ipsis denegabit, et demonstrata iis peccati gravitate, quod suscipientes in eo statu matrimonii Sacramentum commissuri sunt, eos ad ipsum differendum excitabit. Quod si adeo salutaribus monitis noluerint consentire, aut non minoris momenti incommoda ex Matrimonii dilatione metuenda sint, ad poenitentiae conatum excitatos ultra sacrum nuptiarum ritum perficere non recusabit.

XX. Si autem ipsa celebrationi nuptiarum destinata die aliquod dirimens impedimentum Parochus detegeret, licet per sacramentalem confessionem id fieret, salvo semper ipsius sigillo, illis quantum fieri poterit adsistere detrectabit, illique suggerent charitas et prudentia rationem opportunam, suggerent matrimonium, inviolatâ conscientiâ et sponsorum famâ, qua differatur, aut ex integro disturbetur, quoties impedimentum nullam dispensationem admittat. Quod ipsi facilius continget, si de impedimentorum natura populum suum instruxerit, atque ostenderit, pleraque ipsorum cuiuscumque criminis expertia esse, quod unice iustam afferre potest infamiam.

XXI. Si ad Matrimonii institutionem assurgamus, illudque veluti officium tum naturae tum civilis societatis inter christianos consideremus, facile est intelligere, utrumque coniugem mutuum sibi amorem, et tolerantiam, et in necessitatibus adiutorium debere, inviolabilem imprimis sibi servantes fidem; et manifestum pariter est, ipsos ad filiorum nutritionem, et educationem tam spiritualem, quam

 tem-

temporalem procurandam adstringi. Interim vero in hac educatione per ignorantiam et negligentiam parentum atque etiam vivendi licentiam gravissimae abusiones obtinent. Erit igitur Parochorum officium in hac maximi momenti re solidas clarasque habere ad populum instructiones, ut coniuges, qui in muneribus suis perficiendis negligentes fuerint, defectus suos agnoscant, iisque pro viribus occurrere studeant; qui vero liberi adhuc sunt, non more brutorum, quibus non est intellectus, ad matrimonium contrahendum cupiditate ducantur. Vitii huius, cui ratio et civilis societatis iura adversantur, in sacro Tobiae libro terribile exemplum habemus.

XXII. Quare in communibus, et privatis Sponsorum instructionibus spiritualem educationem in eo sitam esse monstrabunt: 1. ut filios a teneris annis doctrinae Christianae rudimentis imbuant: 2. ut sanctum timorem, et ardentem erga Deum et proximum amorem tenellis mentibus inspirent: 3. ut doctrinam sanctam exemplo non dissimili confirment: 4. ut illos corrigant, interdum etiam puniant humanitate severitati coniuncta sine iniuriis et imprecationibus.

XXIII. Quod vero pertinet ad temporalem nutritionem, et educationem, 1. matribus et sponsis suadebunt, multo graviores iis, quae passim afferuntur, causas requiri, ut a propria lactanda prole abstineant; 2. demonstrabunt, utrumque coniugem, praecipue vero patrem, teneri de necessariis alimentis et vestibus filiis suis consulere, donec ad eam aetatem pervenerint, qua ex se ipsis huiusmodi vitae subsidia sibi comparare possint; 3. monebunt licitum ipsis non esse concessas sibi a divina providentia opes dissipare, sed eas recto ordine constitutas propriae posteritati esse derelinquendas; 4. tandem et aliud gravissimum munus inculcabunt, ut idoneos efficere studeant filios, qui non tantum

vi-

victum atque vestitum, si pauperes sint, sibi comparare, sed etiam sibi similibus, et Reipublicae, quaecumque eorum conditio sit; per aliquam scientiam, aut honestam artem, sive liberalem, sive mechanicam inservire possint; qua in re parentes, quo filii propendeant, attente explorabunt, illique, quantum prudentia viresque permittunt, obsecundabunt.

XXIV. Quod si matrimonium vel prout contractus naturalis et civilis consideratur tanta haec a christianis coniugibus exigit, qui fieri poterit, ut Parochi sancto zelo non inflammentur, quo eiusdem, prout sacramentum est, venerationem in Christianorum animis excitent; maxime si considerent in huius prae ceteris sacramenti susceptione pretiosum Iesu Christi sanguinem sine horrore, et quasi cum tripudio conculcari?

XXV. Quare non solum cavebit Parochus, ut generale S. Ecclesiae praeceptum nuptias non celebrandi solemnibus poenitentiae, Quadragesimae, et adventus Christi temporibus observetur, sed etiam pro viribus impediet, ut sponsi ante celebratum matrimonium sub eodem tecto habitent, aut nimis familiariter unâ conversentur; eosque, et omnes, qui ad nuptias invitari solent, exhortari non cessabit, ut nuptiarum die cum immodico vestium ornatu aut unde libido excitetur, ad Ecclesiam non accedant. Rursus adversus intemperantiam, commessationes, omnisque generis licentiam in sermonibus, in cantu, in locis, totaque nuptiali celebritate sanctum horrorem ipsis incutiet. Denique eos suadebit, ne diebus festis ex praecepto observandis nuptias celebrent, ne a sacris Paroeciae functionibus plures distrahantur, illisque dies, qui divino cultui, et animarum sanctificationi praecipue destinati sunt, una cum Sacramento profanationis periculo exponantur.

R 2 Hi-

Hisce quatuor Decretis subscripserunt Patres n. 233. Praeside computato. Qui subscribere noluerunt, sunt qui sequuntur.

P. Ioseph Baldesi, *Parochus S. Prosperi et Oratorii Praepositus*.

D. Bartholomaeus Ulivi, *Vicarius Foraneus et Treppii Plebanus*.

D. Antonius Baldesi, *Parochus S. Mariae Equitum* etc.

D. Philippus Tesi, *Parochus S. Sebastiani a Piuvica*.

D. Antonius Gelli, *Prior Valenzatici*.

D. Marcus Vivarelli, *Parochus Luogomani*.

D. Philippus Bizzarri, *Capellanus Curatus Prioratus S. Pauli*.

P. Franciscus Tolomei, *Presbyter Oratorii*.

Qui sequuntur, ita subscripserunt:

Ego D. Ioseph Matani non solum nomine proprio, sed etiam nomine R. D. P. Francisci Lazzerini Plebani Quarratae confirmo quidquid in Synodo sancitum est, et quod est consentaneum Decretis Sacrosancti Concilii Tridentini, cui testor me esse obedientissimum.

Ego P. Thomas Giusti Parochus S. Salvatoris *iuxta mentem S. Concil. Trid.*

Idem ego pro D. Priore Collensi *ut supra*.

Ego P. Antonius Filippi me remittens ad S. Concilium Tridentinum.

Ego F. Antonius Maria Bartoli affirmo *q. salv. iuxta Decreta S. Cat. Ap. Rom. Eccl.*

SES-

SESSIO VI.

HABITA V. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

Hoc mane D. Ioseph Dini Parochus S. Michaelis a Tobbiana Sacrum celebravit, quo expleto cantati sunt de more Psalmus: *Deus venerunt gentes*; et Evangelium S. Matthaei: *in illo tempore dixit Iesus discipulis suis: si peccaverit etc.* Inde post *Veni Creator*, hanc precem Episcopus effudit.

OREMUS.

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis, et amore dominaris, da Spiritum Sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna Pastorum. Per Dominum nostrum: Qui tecum vivit etc.

Cum Canonicus Talini Synodo retulisset, Bartholomaeum Ulivi Vicarium Foraneum, et Plebanum Treppii, Iulium Sozzifanti Canonicum, et P. Antonium Mariam Bartoli Minorem Conventualem morbo correptos huic Sessioni non interfuisse, et restitutum Synodo Thomam Rossi Canonicum significasset, hisce Praesidis verbis exordium Sessioni factum est.

„ Venerabiles Cooperatores et Consacerdotes, „ qui a Secretis est Congregationis deputatae eluci-

„ dandis Patrum difficultatibus, qui non subscripserunt, quod ab ipsa Congregatione constitutum fuit, publicum faciet. Spiritus pacis et charitatis vobiscum sit. „

Itaque supradictae Congregationis Secretarius, cum pulpitum ascendisset, ita coram Concilio effatus est.

„ Venerabiles Viri, Praeses, Patres, et Consacerdotes, en summam eorum, quae peracta sunt in Congregatione deputata elucidandis difficultatibus Patrum, qui non subscripserunt. „

„ Fabricius Cellesi Canonicus epistolam Promotori direxit, qua duas praecedentes epistolas declarat, veniamque postulat, quod Synodum accusasset sublatae libertatis, quasi per vim et reverentialem quemdam timorem subscriptiones extorquerentur. En quibus ipsa verbis concepta sit. „

„ Fabricius Cellesi Canonicus cum ex una parte credidisset, a Sancta Synodo veluti fidei dogmata proponi quaedam doctrinae capita, quae nondum definita sunt, ex altera autem Synodi libertatem in suffragiis secreto proferendis consistere, duas declarationes, et protestationes contra eandem Synodum ad Promotorem transmisit. Nunc vero cum de hisce duobus articulis accuratius fuerit instructus, quidquid in duabus iis declarationibus tam contra suffragiorum libertatem, quam contra ius Synodi in explicatis doctrinae capitibus proposuerat, ex animo retractat. Quare Synodum, et eiusdem Synodi Praesidem, et Regium Commissarium sincere se venerari declarat, ac medullitus se dolere testatur, quod huic sacro Conventui querelae causam praebuerit. „

Fabricius Cellesi Canonicus m. pr.

„ Cum

„ Cum vero Congregatio consideraverit per
„ hanc epistolam satisfactionem exhiberi pro iniu-
» riis, quae in duabus primis continebantur, ut huic
» negotio finis imponatur, Sanctae Synodo proponit,
„ ut huic epistolae penitus acquiescatur. Placet ne
„ vobis, Venerabiles Viri, Praeses, Patres, et Con-
„ sacerdotes, huiusmodi propositio? »

Cum Patres unanimiter respondissent, *placet*, Secretarius subiecit.

» Quae aliquorum mentibus dubia insederant
„ circa Concilii Tridentini Canones de causis et
„ impedimentis matrimonialibus, operae pretium se
» facturam existimat Congregatio, si sequenti decla-
„ ratione expediat. »

„ In universa civilium contractuum serie nullus
„ certe est, qui magis pertineat ad bonum Societatis,
„ et Reipublicae tantum intersit, quantum contrac-
» tus Matrimonii; ac praecipuum, ut sic loquar,
„ elementum, unde Societas coalescit, ipsi de-
„ traheret, qui absolutum super eumdem ius su-
» premae Potestati denegaret, cum tota civilis
„ Societas a Matrimonio propriam subsistentiam,
„ principium, rectumque ordinem repetat. Hinc
„ omnes mundi nationes hoc originarium in Matri-
» monio ius semper exercuerunt, sancitis legibus, a
„ quibus eiusdem validitas aut nullitas dependeret.
» A primis etiam Ecclesiae saeculis originariam et
» propriam in Matrimonio auctoritatem Christiani
» Principes agnoverunt, consanguinitatis gradus
„ praescripserunt, in quibus contrahi ipsum non
„ posset, impedimenta impedientia, et dirimentia
» statuerunt, et ab iisdem dispensarunt, quando
„ Reipublicae necessitas aut utilitas dispensationem
» exposceret. Has leges S. Augustinus, S. Ambro-

„ sius, aliique plures Sancti Patres commendaverunt,
„ et eas ferendi auctoritatem in Principibus agno-
„ verunt. Ecclesia et Concilia, quae muneri suo
„ satisfactum esse putabant, si quibusdam impedi-
„ mentis impedientibus a se constitutis maiori con-
„ tractus honestati consuluissent, non solum eius
„ generis leges approbaverunt, sed saepius etiam
„ supremam civilem Potestatem sollicitabant, ut
„ ipsas constitueret. Ceterum hoc exercitium statu-
„ endi impedimenta Matrimonium dirimentia, et ab
„ iisdem dispensandi, quod a iure et ab ipsa
„ natura profluit supremae Potestatis, aliquam
„ circa octavum et nonum saeculum mutationem
„ subiit, eo scilicet infelici nimium tempore, quo
„ falsae Decretales apparuerunt, et indirectae pote-
„ statis opinio invaluit; quae nimium infelicissima
„ monumenta sanctissimis etiam Ecclesiae Ministris
„ turpissime imposuerunt, et sacratiora Principum iura
„ subverterunt. Vastum illud Romanum imperium bar-
„ barorum incursionibus iam ad extrema prolapsum,
„ in plures parvosque Principatus divisum erat; itaque
„ si Principes singuli certissimâ sibique a Deo tra-
„ ditâ in Matrimonio auctoritate uti voluissent,
„ confusio et perturbatio in ditionibus suis exorta
„ fuisset. Hinc factum est, ut ii prudentissime in
„ Ecclesia ius illud confirmarent, quod eidem aliunde
„ accesserat; quoniam cum latius ipsa extenderetur,
„ generaliores etiam hac in re leges constituere po-
„ terat, ex quibus et rectus ordo, et quaedam in
„ impedimentis uniformitas derivaret. „

„ Ab originario iure, quo Principes gaudent
„ statuendi impedimenta dirimentia, et a factis ab
„ historia depromptis, quae veritatis lux est, et ve-
„ nerabilis antiquitatis custos, legitime consequitur,
„ quod Petrus Soto, qui Concilio Tridentino inter-

fuit,

„ fuit, et Van-Espen stabiliverunt, Ecclesiam nem-
„ pe ius ponendi Matrimonio impedimenta dirimen-
„ tia a tacito Principum consensu agnoscere. Hinc
„ nobis persuasum quidem penitus est, Ecclesiam
„ habere ius impedimenta huiusmodi dirimentia con-
„ stituendi, sed quod tamen ipsi ex Principum
„ consensu accesserit. Hoc ex ipsa praefatione pa-
„ tet praemissa canonibus contra Lutherum sancitis,
„ qui asserebat, nullam humanam Potestatem con-
„ stituere posse impedimenta dirimentia, aut ab
„ ipsis dispensare. Hinc Concilium declarans nolle
„ se in definitione complecti, nisi quod haereti-
„ corum error exposceret, eam iis limitibus cir-
„ cumscripsit, quin determinaret, unde talem ipsa
„ obtineret auctoritatem. Quare affirmamus, Eccle-
„ siam, quae hoc iure gaudebat, non aliunde il-
„ lud accipere potuisse, nisi a tacito consensu
„ Principum, in quibus dumtaxat originaria po-
„ testas in omnibus civilibus contractibus residet,
„ praesertim vero in contractu Matrimonii, cui
„ tota Reipublicae stabilitas, et felicitas innixa
„ est. „

„ Ut adeo aequam Canonum Concilii Triden-
„ tini interpretationem unus ex oppositoribus elu-
„ deret, eo confugit, ut assereret: quod si ita res
„ se haberet (verba ipsius sunt) tunc purum fa-
„ ctum a Concilio definitum fuisset; fieri autem ne-
„ quit (sequitur ipse) ut tale factum definitionis
„ subiectum sit, quia mutabile est, quoniam con-
„ cessionem hanc retractare Principes possent. Ve-
„ rum hic Adversarius hallucinatur, ius a Principi-
„ bus Ecclesiae concessum cum facto ex eodem iu-
„ re proveniente confundens. Cum igitur Concilium
„ definit, Ecclesiam habere potestatem statuendi
„ impedimenta dirimentia, factum definit. Sed tunc

„ pa-

„ pariter definit ius, quod verum ac reale est, licet a Principibus ipsi concessum. Quamvis vero „ hoc possit revocari, nihilo tamen minus, donec Principes idem illud sibi iterum vindicent, est, fuitque ius „ verum ac reale, quod Ecclesia exercere potuit, et „ quo interea potest, ac poterit impedimenta dirimentia statuere. Merito igitur Tridentina Synodus definivit, Ecclesiam potuisse et posse constituere impedimenta, praeter ea, quae in Levitico continentur contra Lutheri doctrinam, qui ea veluti „ tyrannica et iniusta traducebat, unicuique sic „ eripiens facultatem ea ponendi atque tollendi. „ Non est opus, ut in re adeo clara atque perspicua amplius immoremur, aut quibusdam levibus „ Adversarii animadversionibus respondeamus, utpote quae falsitatis re ipsa convincuntur, et „ firmissimis ecclesiasticae historiae monumentis „ adversantur, ad quam, ut magis illuminetur, et „ erudiatur, ipsum libentius remittimus. „

Post haec consuetâ methodo lecta fuere decreta de Oratione, de vita et honestate Clericorum, et de Collationibus moralibus; tum libelli memoriales una cum supplici libello R. Principi exhibendo circa sponsalium abolitionem, et imminutionem impedimentorum dirimentium Matrimonium; tum pro iuramentis reformandis, pro festis reducendis, pro finibus atque ambitu Paroeciarum ordinando; postremo ut aliquod reformationis Regularium systema probetur, et Nationale Concilium convocetur.

Cum Decreta et memoriales libelli perlecti et unanimi Patrum consensu approbati fuissent, ad subscribendum, sicuti in aliis Conventibus, ventum est.

Hinc iuxta morem a primo Secretario Sessio septima indicta fuit die 28. Septembris hora octa-

va

va matutina, ut Constitutionum Synodalium auctoritas, sanctique Concilii conclusio determinaretur.

Episcopi benedictio hanc Sessionem absolvit, eique interfuerunt

Parochi	- - - - - - - - -	„	179
Capellani Curati	- - - -	„	13
Canonici	- - - - - - - -	„	12
Sacerdotes	Seculares -	„	28
	Regulares -	„	12
	Num.	„	244

DE

DECRETUM

DE ORATIONE.

§. I.

Cum creatura rationalis a Creatore suo, supremo Domino, unico principio, et ultimo fine, semper et necessario dependeat, hinc opus est, ut quocumque in statu homo consideretur, se se ante Dei sui maiestatem demittat, eiusque magnitudinem, et mirabilia sapientiae et potentiae ipsius opera profunde veneretur, et meditetur, illi benedicat, illum invocet, eique gratias agat, ac demum frequentibus amoris motibus in ipsum feratur, seque illi coniungat. Haec animae ad Deum elevatio, hic motus nostri spiritus erga supremum Ens, hoc Creatoris sui maiestati praestitum obsequium, generali quodam sensu *oratio* potest appellari.

II. At si insuper consideremus, Deum esse rerum omnium auctorem, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum est, descendens a Patre luminum, ab ipso, quaecumque bona, sancta, perfecta sunt in natura, gratia, et gloria, dependere, et de ipsius bonitate participare, facile intelligitur, continua hominem urgeri necessitate, ut ad Deum confugiat, fervidas humilesque supplicationes ad ipsum dirigat, ut ab ipsius misericordia ea bona obtineat, quae ex fide firmiter credit, spe expectat, et desiderat, et diligit charitate. Haec humilis

sup-

supplicatio, quae ab amoris, adorationis, laudis, et gratiarum actibus nunquam divelli potest, proprio et stricto vocabulo *oratio* dicitur.

III. Quamvis hoc sensu, hacque ratione sumpta oratio etiam in statu innocentiae homini fuerit necessaria, tamen post ipsius lapsum multo magis atque omnino necessaria fuit. Superbus enim pauper, indigus, piger per peccatum homo factus est. Nihil boni ex se ipso habet, et nullo ad quidpiam gaudet iure. Solus Deus, qui nihil homini debet, hanc animi vacuitatem atque vastitatem liberalitate sua replere potest. Accedit, Christum pluribus Evangelii locis orandi praeceptum nobis inculcasse, et transactis in oratione noctibus, et in agone suo precibus ad Deum iteratis clarissima orationis exempla nobis praebuisse. Hinc pro omnibus hominibus, et omni tempore orandi necessitas existit. Salvator ipse, qui nobis et orandi praeceptum inculcavit, et exemplum praebuit, formam etiam praescripsit in ea oratione, quae ideo dominicalis dicitur, quia a Iesu Christo Domino nostro tradita est. In ea desideriorum nostrorum, nostrorumque officiorum scopus compendiò exhibetur. Ipsa orationum omnium, quae ad Deum dirigi possunt, perfectissimum exemplar est.

IV. Ceterum ille spiritus orationis, quae ab ipso in odore suavitatis accipitur, a nobis nec est, nec esse potest. Si verum est, quod *non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*, qui fieri poterit, ut cor nostrum ad Deum per sancta desideria sublevemus? Solus igitur Dei spiritus ille est, qui nostram adiuvat infirmitatem. Et sane nisi ille nobis nostrarum miseriarum abyssum detegat, et manum, quae nos sublevare potest, parataque a divina misericordia, et oblata nobis bona ostendat, nisi eorum desiderium, et fiduciam eadem a caelesti Pa-

tre

tre postulandi nobis inspiret; denique nisi ipse illum ineffabilem cordis gemitum, cui benignas aures praebet Deus, in nobis efficiat, aut nullatenus, aut non sicut oportet, orabimus, immo nec quid postulandum erit, noverimus. Iste orationis spiritus, haec gratia, quae non est in nostra potestate (secus enim gratia non esset) in profundae humilitatis sensu constanter detinere nos debet, sine qua humilitate oratio nostra non esset, nisi superba praesumptio, novumque peccatum.

V. Spiritus Dei, qui in nobis gemit, et desiderat, ea quae beneplacita Deo sunt, ut docet S. Paulus, unice postulat. Ac perfectio consiliorum Dei super electos una cum peccati destructione, et perseverantia in charitate praecipuum verae orationis finem constituit. Iam vero perfectio consiliorum Dei super electos suos in regni caelestis possessione consistit: iustitia sive charitas adminiculum, quod ad illam ducit, est. Ideo Iesus Christus ait: quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius. Cetera nisi in ordine ad Deum, et ad regnum eius postulari nequeunt, id est, nisi quatenus adminicula esse possunt, quibus beata ipsius possessio obtineatur.

VI. Ex his principiis consequitur primam ad orandum, sicut oportet, necessariam dispositionem, esse perfectam a creatis rebus separationem, et cuiuslibet terrenae consolationis quasi fastidium, quo ad veram laetitiam in regione pacis a Deo nobis promissam ardenter anhelemus, et ab ipsa nos exules considerantes gemamus et suspiremus. Ideo declaramus: 1. orationem impiorum, amatorum mundi, et ceterorum in peccato voluntarie viventium, quin ad Deum reverti cogitent, non esse veram orationem, sed mendacium potius, et hypocrisim exe-

cra-

crabilem : 2. orationem non solum vere iustorum, sed etiam vere poenitentium et conversorum Deo gratam esse, utpote sociatam gemitibus magis minusve ardentibus pro magis minusve perfecta charitate in iustis, et in aliis pro fervore poenitentiae: 3. peccatores ipsos, qui licet nondum conversi sint, peccatorum tamen suorum pondus experiri, et iustitiam licet debili et imperfecto modo desiderare incipiunt, vere et utiliter preces ad Deum fundere.

VII. Haec prima, quae paucis hîc delineata est, animi affectio plures alias includit, et secum trahit: sinceritatem, qua ex animo oramus, exaudiri desiderantes : humilitatem et compunctionem, qua corde contrito, propriae miseriae, et infirmitatis conscio, et sub malorum nostrorum pondere humiliato Deum deprecamur: fiduciam, quae nos ad Deum orandum impellat, credentes et confidentes, Deum posse et velle nos exaudire, nobisque exhibere misericordiam: perseverantiam nunquam permittentem ab oratione cessare, ratione habita necessitatis nostrae, Dei misericordiae, et praecepti Iesu Christi: denique attentionem, qua cogitemus, et quem rogamus, et quid petimus, caventes maxime, ne mens ullo modo in alia distrahatur.

VIII. Verum inter ceteras conditiones orationis necessarias, illa est praecipua, ut in nomine Iesu Christi fiat. Post interpositam Deum inter et hominem peccati culpa separationem, ad divinae Maiestatis thronum ex nobis ipsis accessus non patet, nihil in nobis et per nos ipsos habemus, quod Deum ad exaudiendum nos possit movere, immo potius ab ipso reiici promeremur: quidquid enim ex nobis ipsis Deo offerimus, quia cupiditate infectum, ipso indignum est. Ut igitur accedamus ad Deum, nil aliud nobis restat,

quam

quam Unigenitus eius filius, qui propitiatio, Pontifex, et Mediator noster factus est. Sicuti Deus nos non diligit nisi in eo, in quo unice sibi complacuit, ita non nisi per ipsum nos exaudit. Itaque prorsus necessarium nobis esse declaramus, orare in nomine Iesu Christi, adeo ut quaelibet non per Christum effusa deprecatio, non solum peccatorum veniam non obtineat, immo eadem vertatur in peccatum.

IX. Iam vero non aliter proprie loquendo in nomine Iesu Christi oramus, quam si ipsius charitati et meritis innitamur, ab ipso procedentem Spiritum in nobis gementem, et postulantem agnoscamus, omnia iuxta ipsius voluntatem, et in ordine ad promerita nobis bona poscamus, tandem huius unici Mediatoris nostri orationi, et sacrificio uniamur.

X. Ceterum non solum Iesus Christus pro nobis ut Sacerdos, in nobis ut caput orat, sed etiam uti Deus a nobis exoratur. Cum enim ipse una cum Patre et Spiritu Sancto verus Deus sit, et omnis gratiae auctor, sic una cum Patre, et Spiritu Sancto unicum nostrarum precationum obiectum esse debet, sicuti est nostrarum adorationum. Et sicuti adorare in Iesu Christo humanitatem, carnem, aut partem ipsius a Divinitate seiunctam, aut sophistica distinctione praecisam, error esset iam ab Ecclesia confixus anathemate, ita pariter idem esset, ad ipsam humanitatem preces nostras dirigere facta eâdem divisione aut abstractione. Hinc Epistolae pastorali Episcopi nostri circa novam devotionem Cordis Iesu diei 3. Iunii 1781. (1) ex animo subscriben-

(1) Vide Append. n. XXXII.

bentes, hanc aliasque similes pietatis formas uti novas et erroneas, aut saltem uti periculosas reiicimus; ideoque cum eas in Ecclesiis nostris abolitas penitus esse velimus, Pastorum erit officium fideles exhortari, ut sicuti semper consuevit Ecclesia, Iesum Christum praecipue in mysteriis suis sine divisione adorent, invocent, deprecentur.

XI. Sane in meditando Passionis Iesu Christi Mysterio peculiari quodam modo pietas nostra continue debet exerceri. Optandum tamen esset, quod et tota cordis nostri effusione inculcamus, ut haec ipsa pietas, et meditatio omnium expers esset inutilium, et periculosarum quarumdam formularum, quibus superstitiosi nostrorum temporum devoti eam subiicere voluerunt, et a quibus eam plene expurgare nimis esset difficile. Compunctionis et amoris spiritus alligari certe nequit determinato cuidam stationum, ut aiunt, et reflexionum numero, quae saepe falsae sunt, saepius arbitrariae, semper vero offendiculis refertae (1).

XII. Cum veram ac solidam erga Iesum Christum devotionem commendamus, cum declaramus mediationis ipsius necessitatem, Sanctorum invocationem excludere non intelligimus. Omnia Ecclesiae membra generatim inter se charitatis vinculis colligantur, quae sanctum inter eos commercium constituit, cuius finis est gloria Dei, et electorum salus. Huius coniunctionis vi Sancti, qui nunc cum Iesu Christo regnant, de propria immortalitate securi de nostra sunt salute solliciti. Hinc ad implorandam Sanctorum intercessionem excitamur, ut per mediationem Iesu Christi nostri et eorum Salvatoris nobis ad eas obtinendas a Deo gratias auxilientur, quibus

S ad

(1) Vide Append. n. XXXIII.

ad aeternam, qua ipsi iam perfruuntur, gloriam consequendam indigemus.

XIII. Quamvis igitur pro certo habeamus, solam Iesu Christi mediationem simpliciter et absolute necessariam esse, Sanctorum autem invocationem in ordine redemptionis, et salutis hominum essentialiter non contineri, attamen cum Sancto Concilio Tridentino confitemur, huiusmodi invocationem bonam et utilem esse. Peculiarem pariter devotionem Beatae Virgini commendamus. Ipsa ut Mater Iesu Christi esset, a Deo fuit electa, et haec amoris electio eam supra ceteros Sanctos gratiâ replevit. Ipsa quoque communis est christianorum Mater, *quia*, ut ait S. Augustinus, *cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt*. Iste tamen specialis erga Beatam Virginem cultus, sicuti et qui ceteris Sanctis exhibetur, iuxta Ecclesiae spiritum dirigendus est, quae quantum creaturae distent a Deo unico vitae et salutis fonte, apprime novit. Qui hos trasgreditur limites, et creaturis licet sanctissimis cultum soli Deo debitum offert, non solum eas in auxilium sibi non promeretur, sed gravissimi quoque criminis reus efficitur. Vellet etiam Sancta Synodus, ut honor, quem Sanctis impendimus, nos ad illos potius maiori studio imitandos, quam steriliter et inaniter admirandos impelleret.

XIV. Quod vero ad exteriores devotionis actus erga Beatam Virginem aliosque Sanctos pertinet, omnem superstitionis umbram sublatam esse volumus, qualis esset, in quodam determinato precum et salutationum numero, quarum sensus plerumque aut non attenditur, aut non intelligitur, et generatim in quolibet actu, aut obiecto externo materiali certam statuere efficaciam. Erit itaque Parochorum mu-

munus ad peculiares populi sui saepe nimis ad superstitionem, et ad externam pietatis speciem proclivis devotiones diligenter attendere. Qua in re Episcopi nostri vigilantiae conformes nos fieri arbitramur, quam in sua epistola diei 6. Decembris anni 1784. (1) praecipue demonstravit.

XV. Non minori sollicitudine ducentur animarum Pastores, cum verum cultus Sanctorum reliquiis et imaginibus impendendi spiritum fidelibus inculcabunt. Iuxta antiquissimum morem, et spiritum Ecclesiae catholicae Sanctorum reliquiae considerandae sunt, veluti reliquiae corporum, quae a Deo creata sunt, ut gloriae suae fierent instrumenta, et quae una cum anima vivum Spiritus Sancti templum, et Iesu Christi membra fuerunt. Horum sacrorum cinerum conspectus, qui iterum aliquando animandi sunt, aeternàque gloria exornandi, futurae resurrectionis fidem in nobis suscitare debet, eaque ad memoriam revocare, quae a nobis perficienda sunt, ut illam cum gaudio expectemus. Miracula demum, quae coram his sacris reliquiis operari voluit Deus, nos excitant, ut ad intercessionem illarum beatarum animarum, quae in his pretiosis exuviis honorantur, cum fiducia convertamur. Absit tamen, ut aliquam in ipsis virtutem esse credamus; immo in fidelium memoriam revocandum est, omnem spem nostram in illius potentia et bonitate esse reponendam, qui servos suos fideles, sicuti ipsi placet, honorat, et qui vota nostra, eo modo, quem gloriae suae congruum putat, exaudit.

XVI. Sacrae etiam imagines eodem spiritu vene-

(1) Vide Append. n. XXXIV.

randae sunt. Non est credendum aliquam ipsis divinitatem, aut virtutem inesse, propter quam speciali modo sint honorandae, aut in illis ad Paganorum exemplum, qui in idolis fiduciam suam collocabant, spes nostra stabilienda est. Sed, cum veneramur imagines, cogitemus oportet, honorem hunc ipsorum prototypis referri, nempe Iesum Christum in se ipso, et in Sanctis suis adorari. Hinc iuxta traditionem Patrum omnis imaginum utilitas in eo primum constitit, quod veluti liber pro rudibus istae habeantur, in quo id quod discere legendo nequeunt, vivide expressum reperiatur. Insuper pro omnibus generatim inserviunt ad mentibus nostris ea validius imprimenda, quae Iesus Christus pro nobis operatus est, mirabilia, quae Deus in Sanctis suis perfecit, denique exempla, quae in ipsis proposita nobis sunt, ut de omnibus illi gratias agamus, et ad ipsos imitandos excitemur.

XVII. Huiusmodi sunt principia, quibus ut populi imbuantur, Sancta Synodus cupit, ad ipsorum devotionem precesque ordinandas. Quidquid ad sanctissimos fines, quos Ecclesia imagines proponens sibi praefixit, nedum conducit, sed potius ab ipsis abstrahit, tamquam periculosissimum offendiculum removeatur: quare 1. omnes ab Ecclesiis imagines auferantur, quae aut falsa exhibent dogmata, uti quae cor carneum Iesu repraesentant, aut rudibus errandi occasionem praebent, veluti quae incomprehensibilem Trinitatem oculis subiiciunt, aut denique, quae non solum non aedificant, sed potius scandali causa sunt, qualia sunt picturae omnes impudicae, ridiculae, vanitatem spirantes et pompam. 2. Illae pariter imagines subducantur, in quibus singularem fiduciam collocare populus, aut specialem quamdam virtutem contra Ecclesiae decreta et mentem agno-

agnoscere videatur. Quod ex eo inferri potest, quod specialem cultum illi speciatim imagini impendat, et ad ipsam potius quam ad aliam confugiat, quasi vero Deus et Sancti speciali modo preces exaudiant, quae coram illa effundantur, aut illius venerationi concedendae gratiae suae fuerit a Deo adnexa promissio. 3. Hunc ipsum ob finem vult Sancta Synodus, ut perniciosus mos quasdam imagines praesertim B. Virginis peculiaribus titulis, et nominibus plerumque vanis et puerilibus distinguendi penitus aboleatur. Numquam alia ipsis praefigere nomina licebit, quam quae mysteriis analoga sunt, quorum in sacra Scriptura expressa fit mentio. Qui secus ageret, populo offendicula multiplicaret confidere assueto usque ad superstitionem in magnificis nominibus, aut quae propriis desideriis sunt accommodata. 4. Illa pariter peculiares quasdam Imagines contectas retinendi abusio extirpetur. Hoc etenim non solum occasionem populo praebet specialem in illis virtutem ponendi, et idcirco peculiarem illis cultum impendendi, sed omnem etiam imaginum utilitatem, et finem destruit. Vult denique Sancta Synodus, ut in Ecclesiis imagines tantum retineantur, quae Redemptoris nostri mysteria iuxta morem formasque a Patribus nostris praescriptas repraesentant, et praeterea B. Virginis, aliorumque Sanctorum imagines geminatae non admittantur; licitum potius erit picturas ad ornatum apponere, quae aliquod boni exempli factum ex veteris aut novi Testamenti historia depromptum repraesentent.

DE ORATIONE PUBLICA.

XVIII. Neminem latet, christiani hominis vitam iuxta Iesu Christi doctrinam orationem esse debe-

re continuam, nempe ut S. Augustinus explicat, in ardenti felicitatis aeternae desiderio, et sollicita inquisitione occupari continue oportere. Iam vero sicuti inter externas occupationes, et distractiones multas, quibus haec vita obnoxia est, desiderium istud in corde nostro facillime potest frigescere, ita eodem docente Patre, quaedam horae, quaedam tempora, quaedam externa adminicula determinanda sunt, quae spiritum nostrum a rerum terrenarum cura ad caelestium amorem revocent, et ad aeterna bona desideranda, et ardentius flagitanda impellant. Ideo Ecclesia de filiorum suorum utilitate sollicita precationes, quas ipsa per ministros suos, et fideles sub ipsis legitime congregatos fundit, ad horas et tempora determinata distribuere semper consuevit: atque haec *Oratio publica* dicitur.

XIX. Ad hanc praecipue ius omnes habent. Nullus ab hac excludi potest, sicuti nullus excludi potest a charitate, quae omnis precationis anima est. Inimici etiam, haeretici, et infideles in ipsa continentur. Sicuti vero ad illam peculiare ius obtinent, quos Deus tam in spirituali, quam civili ordine hominum rectores constituit, ita iuxta S. Pauli doctrinam, et constantem Ecclesiae praxim, speciales ad Deum preces effundere pro Pastoribus primi et secundi ordinis, pro Principibus, eorumque regia familia, pro ipsorum Ministris, et Magistratibus, ad religionis et iustitiae officium pertinere declaramus. Ideo inconcussa hac veritate freti, et Pastorali epistolae Episcopi nostri, de subditorum officiis erga Principem inhaerentes (1), statuimus, ut Sacerdotes omnes in Missae sacrificio commemorationem Prin-

(1) Vide Append. n. XXXV.

Principis facere numquam omittant, canoni post haec verba *pro Antistite nostro* addentes haec alia *et pro Magno Duce nostro*; sicuti et in aliis publicis precibus iuxta ea, quae praescripta sunt, orationes pro Episcopo et Principe ut ne praetermittantur. Pastores autem studiose populum docebunt, huic Ecclesiae menti et ipsum coniungi oportere.

XX. Huius pariter intimae charitatis vinculo, quo inter omnia Ecclesiae militantis et purgantis membra communio sancta constituitur, sanctam et salubrem esse agnoscimus cogitationem pro iis orare, qui in Dei gratia defuncti, cum pro suorum delictorum expiatione aliquid poenae ipsis tolerandum supersit, in Purgatorio detinentur, donec divinae iustitiae satisfecerint. Ideo Sancta Synodus statuit, ut singulis primis cuiusque mensis Dominicis unusquisque Plebanus cum suis Coadiutoribus, aliisque Sacerdotibus Ecclesiae suae ministerio addictis, fratres Sodalitii charitatis, aliique fideles simul in propriae Paroeciae Ecclesia conveniunt deprecaturi Deum pro Defunctis cantantes aut legentes Vesperas, primum Nocturnum, et Laudes Officii, quod dicitur Defunctorum; et sequenti mane ab iisdem iuxta praescriptas in Calendario Rubricas Missa de *Requie* celebretur. Sicuti vero plures in populo hac de re serpunt perniciosissimi errores, quod ex. gr. animae qnaedam derelictae in Purgatorio detineantur, pro quibus nullus exoret, ideoque a poenis non subleventur, aut quod peculiares fidelium preces iis tantum, pro quibus funduntur, animabus purgantibus prosint; ita Sancta Synodus Pastores hortatur, ut totis viribus satagant populos hac in re prudenter instruere ipsis demonstrantes huiusmodi opiniones Ecclesiae doctrinae adversari, iuxta quam spiritualia bona inter viva Iesu Christi membra per charita-

tem, quae simul ea coniungit, communia sunt; ut nemo ipsorum ab effusis in Ecclesia precibus excludatur, charitate ad totius corporis bonum et utilitatem eas referente; quare peculiares a fidelibus factae precationes pro animabus purgantibus ipsis speciatim prosunt proportione servata cum charitate et merito, quod in hac vita adeptae sunt, et quo sunt effectae digniores, quae in altera de iis participarent. Illas quoque omnes consuetudines Sancta Synodus prohibet, quae Ecclesiae auctoritate firmatae non sunt, aut aliquam in populo gignere possunt superstitionem.

XXI. Numquam autem satis orationis publicae utilitatem Parochi commendabunt, cum in Evangelio suo Christus promiserit, si duo vel tres in nomine ipsius congregarentur, in medio eorum se adfuturum, et omnia ipsorum petitionibus concedenda. Haec precum consociatio, quae ex eodem fidei, spei, et charitatis spiritu procedunt, illam efficit, iuxta Tertulliani mentem, coactionem sanctam, uti iam observatum est, quae Deo grata est, et benigne ab ipso excipitur.

XXII. Hinc pro singulis christianis obligatio exurgit orationi publicae interveniendi, Ecclesiae orationum et caerimoniarum, quae in divinis Officiis, et praesertim in Sancto Missae Sacrificio fidelium oculis exhibentur, spiritum agnoscendi et sequendi; hinc Pastorum oritur munus vigilandi num tanti momenti res executioni mandentur.

XXIII. Ante omnia vero necessarium esse ducimus Praelato nostro cooperari in Breviarii, et Missalis Ecclesiae nostrae reformatione, mutantes, corrigentes, et meliori ordine divina officia disponentes. Nemo ignorat, Deum, qui veritas est, nolle mendaciis honorari; tum etiam magis doctos et sanctos

ctos homines, immo ipsos Pontifices postremis hisce temporibus multos in Breviario nostro errores praesertim quod ad Sanctorum lectiones pertinet, agnovisse, et accuratioris reformationis necessitatem confessos fuisse. Quod vero ad alias Breviarii partes spectat, nemo non intelligit, pluribus aut parum utilibus, aut minus ad pietatem fovendam accommodatis alia ex Verbo Dei, et ex genuinis Patrum operibus deprompta suffici oportere; imprimis autem Breviarium ipsum ita disponendum esse, ut in unius anni spatio universa sancta Scriptura legeretur. Interim Sancta Synodus correctionum specimen adoptat ab Episcopo Sacerdotibus missum cum epistola pastorali die I. Ianuarii huius anni (1); et ipsius Episcopi arbitrio remittit aliquos ex nostris confratribus deputare, ut sanctum hoc opus perficiant.

XXIV. Quoniam vero novimus, contra apostolicam praxim, et contra consilia Dei eum operaturum, qui rudi populo faciliorem rationem non procuraret suam cum universae Ecclesiae voce coniungendi, optimum arbitramur Episcopo curam remittere aliquos ex venerabilibus Patribus eligendi, qui ad Ritualis, et Manualis compositionem incumbant pro Civitatis, et Dioecesis Pistoriensis usu, in quibus praeter necessarias instructiones, et explicationes, preces ritusque Ecclesiae in Sacramentorum administratione, Officia Festorum anni principalium, Missae Ordo, et quidquid ad populi instructionem et aedificationem conducere facilius potest, in latino et vulgari idiomate reperiantur. Psalmos quoque et hymnos ad poesis italicae numerum redactos in hoc Manuali inserere curabunt, ut isti quantum fieri

(1) Vide Append. n. XXXVI.

fieri potest, profanis cantilenis substituantur, atque ut eadem affici possimus consolatione, quam S. Hieronymus experiebatur audiens Bethleemi rusticos opera sua psalmorum cum cantu consociantes.

XXV. Ut autem magis ac magis in vero orationis spiritu fideles obfirmentur, opportunum credimus cogitationes nostras ad quasdam alias sacrorum officiorum partes utilius dirigendas convertere. Experientia tristis ostendit, ita Novemdialia, ex. gr. Octavaria Processionum multiplicitatem, novas quasdam festivitates, nedum populum ad solidam pietatem revocare, illum dissipare potius, et a sanctioribus Religionis officiis abstrahere, viamque innumeris scandalis et vitiis saepius aperire. Haec expendens Sancta Synodus statuit, ut imposterum nulla sine Episcopi permissione Novemdialia celebrentur. Quod vero ad Sanctae Nativitatis solemnitatem christianos praeparare potest, iuxta praescriptum ab Episcopo nostro in sua Epistola XXVI. Novembris 1785. (1) rure perficietur. Ut autem multa, quae in illo nocturno Christi Natalis officio contingebant, mala devitentur, nos aliarum Venerabilium Ecclesiarum exemplum sequuti praecipimus, ut tam in Civitate, quam ruri officia omnia, in quibus obeundis sacra illa nox impendi consueverat, mane post Solis ortum transferantur. Quod vero pertinet ad Festa, excepto, quod cuiuslibet Ecclesiae Titulare dicitur, aliisque veteri ecclesiastica consuetudine confirmatis, nulla umquam alia extraordinaria celebrabuntur. Processiones denique ad has tantum restringentur. In Ecclesiis Processio tantum Dominicae Palmarum, Sancti Sepulchri, et Puri-

(1) Vide Append. n. XXXVII.

Purificationis fiet. Extra Ecclesias Processiones tantum pro solemnitate Corporis Domini (1), et pro Rogationibus, aut Litaniis Maioribus, et Minoribus habebuntur, in quibus per Civitatem constitutus ab Episcopo in Epistola XX. Aprilis anni huius (2) ordo penitus servabitur; in pagis autem quilibet Parochus brevem intra Paroeciae suae limites ambitum conficiet. Processiones ceterae, et praesertim quae ad aliquam Imaginem, aut Reliquiam circumferendam destinatae sunt, vero illae praesertim quae ad aliquam B. Virginis, aut alterius Sancti Imaginem invisenda diriguntur, quarum exitus esse solent convivia, et conventus indecori, et tumultuarii, penitus abolentur.

XXVI. His ita constitutis speramus, cum populus a tot celebritatibus saepius ad sensus afficiendos, quam ad verum christianae pietatis spiritum fovendum accommodatis distractus non fuerit, ad accuratiorem suorum munerum observantiam, et in primis quod hodie nimis negligitur, ad veram dierum festorum sanctificationem, facilius esse reducendum. Itaque Pastores populum suum docebunt, quod licet iuxta doctrinam Patrum veri Christiani vita continuum quodammodo festum esse debeat, quia se semper in Deo viventem considerans, ipsius laudes vel inter quotidiana vitae munera canere aut meditari assidue debet; attamen cum pauci admodum illi perfecti christiani sint, qui hoc continuum spirituale Sabbatum observent, Ecclesiae placuit diei Dominicae, quae iudaico Sabbato suffecta fuit, alia addere Festa particularia, ut qui tanta non ardent charitate, qua cor et spiritum suum in Iesu Chri-

(1) Vide Append. n. IV. V.
(2) Vide Append. n. XXXVIII.

Christi Mysteriis, et mirabilibus Sanctorum suorum continenter occupent, identidem remotis terrenis curis atque negotiis ad haec obiecta mentes suas revocare possint, orationis ardorem in se magis excitare, instructionibus aures praebere, Sacrificio assistere, divinas laudes canere, et alia christianae pietatis officia ferventius obire.

XXVII. Ceterum quod origine sua humanae imbecillitatis remedium erat, temporis progressu hominum culpa et abusione offendiculi occasio factum est. Multiplicata enim supra modum festa aequalem pro omnibus festis diebus indifferentiam pepererunt, ne iis quidem exceptis in quibus Christi Domini mysteria celebrantur; et quantum isthaec otio, vanitati, et intemperantiae divitum inserviunt, tantum pauperibus nocent, quia dum illis diebus vacare labori nequeunt, in paupertate et miseria languere coguntur. Malo huic a paterna eius, qui nos Dei nomine regit, cura iam diu consultum fuit pluribus festis diebus ad solam audiendi Missam obligationem restrictis, quae non pleni praecepti festa appellata fuerunt. Verum funesta experientia patefecit, sufficiens hoc pacto remedium abusionibus allatum non fuisse. Ergo Sancta Synodus aliorum Conciliorum, plurimorum sanctissimorum Episcoporum, et quorumdam Romanorum Pontificum exemplum secuta desiderat, ut inviolatis vetustioribus, et ab universa Ecclesia celebratis festivitatibus, quae non pleni praecepti dicuntur, sublatae sint, et aliae ad numerum magis aequum et restrictum reducantur; sic enim languidioribus fidelibus dissipationis praetextum substractum iri confidit. Ad hunc finem obtinendum Sancta Synodus optat, ut Regiae Celsitudini supplicatio hac de re exhibeatur; interim Pastorum erit in hanc sententiam populum sibi commissum inducere, illumque excitare,

re, ut dominicos, et alios festos dies, quorum concessio opportuna videbitur, vero christianae pietatis spiritu santificet.

XXVIII. Tunc etiam commemorare Parochi non praetermittent, sanctificari melius dies festos non posse, quam si ad templum parochiale accedat, ibique peragendis sacris officiis, ut oportet, assistat. Qua in re vetustos Canones renovantes declaramus hoc pro singulis fidelibus expressum munus esse, a quo neminem nisi vera necessitas aut charitatis ratio dispensare potest. Omnia honeste et secundum ordinem fiant, ait Apostolus. Iam vero rectus ordo in omnibus praesertim vero in Religionis officiis observandus exigit; ut cum unaquaeque Paroecia veluti familiam sub suo capite et patre, qui Parochus est, viventem constituat, parochiani omnes sub ipso veluti fratres simul adunentur, ut orent, Sacrificium offerant, et ab hoc communi ipsorum Parente spiritualem cibum ex eadem mensa percipiant. Hi sensus sunt, quos Episcopus noster in sua Pastorali VI. Ianuarii 1784. expressit, cum novas Pratenses paroecias erexit (1); quos sensus veluti antiquae praxi, et spiritui Ecclesiae apprime consentaneos amplectimur.

XXIX. Non est negandum uniformi tam in instructionibus, quam in precibus, quae in singulis Paroeciis fiunt, methodo efficacissimam contineri rationem, ut quidquid hactenus inculcatum est, executioni mandetur. Ideo praeter propositum iam et adoptatum Gourlinii catechismum, et praeter parvum catechismum Illustrissimi D. de Montazet (2), opportu-

(1) Vide Append. n. IX.
(2) Vide Append. n. XXVIII.

tunum existimamus Parochis proponere *Reflexiones morales* in novum Testamentum (1), et *Compendium Historiae et Moralis* Testamenti veteris a pio et docto viro Mensenguio sapienter admodum atque utiliter animadversionibus locupletatum, quod ab Episcopo nostro Parochis omnibus distributum fuit data simul die 15. Februarii 1785. epistola pastorali (2). Hi libri post Ecclesiastica officia legi poterunt, sicuti in aliquibus Paroeciis fieri cum summa populi aedificatione conspicitur. Solidae Religionis veritates, charitatis effusio, qua isti aurei libri referti sunt, Pastores satis persuadebunt non ita facile horum lectionem esse deserendam, ut ipsis alii minus utiles et pii surrogentur.

XXX. Cum insuper in Ecclesia Dei semper fuerit commendata unitas fidelium sacro foedere coniunctorum ad preces Deo fundendas, et ad mutuo se se incitandos ad christianae pietatis erga proximum opera cum illo sancti amoris spiritu, qui filiorum novi foederis proprius est, id ad consequendum perutiliter institutum in Dioecesi nostra charitatis Sodalitium Synodus Sancta cognoscit, et constitutiones omnes (3) et praecipue octavum et nonum Capitulum, quae ad pauperum eleemosynas pertinent, religiose observandas iubet. Qua in re inculcamus, ut Regiae Celsitudinis Encyclica ab Episcopo nostro ad Parochos missa una cum epistola sua die XXVIII. Maii 1786. (4) adamussim executioni mandetur.

XXXI.

(1) Vide Append. n. XXXIX.
(2) Vide Append. n. XL.
(3) Vide Append. n. XLI. XLII. XLIII. XLIV.
(4) Vide Append. n. XLV. XL. XLVI.

Digitized by Google

XXXI. Ne autem populus a publicis Ecclesiae parochialis officiis abstrahatur, piam Religiosissimi Principis nostri mentem secuta Sancta Synodus statuit, ut omnia Civitatis Oratoria publica auferantur; nam de iis, quae in pagis sunt, in Decreto de Eucharistia iam dictum est. Quod vero pertinet Oratoria domestica et privata in Civitate licere vetat in iis celebrare Missam Dominicis, aliisque festis diebus de ceteris autem, quod opportunum videbitur; aequo Episcopi arbitrio determinandum remittit.

XXXII. Quamdiu pro Regularibus aliud determinatum non sit, approbat Sancta Synodus, quae noster amantissimus Pastor in suis epistolis Vicario suo Generali datis die XVI. Martii 1785., et VIII. Aprilis eiusdem anni (1) sapienter disposuit; in quibus praescribitur, ut Regulares Dominicis, aliisque festis de praecepto diebus, sicuti et in Hebdomada Maiori suas Ecclesias non aperiant, sed ad proprias Paroecias se conferant, ut divinis officiis ibi perfungantur, et tanquam veri, ac digni Parochorum Coadiutores populo inserviant.

XXXIII. Volens denique Sancta Synodus populi commodo consulere, quem publicae Orationi Ecclesiae parochialis interesse oportet, et plurimarum Paroeciarum incommodam distributionem limitesque considerans humiliter Principi supplicandum existimat, ut novos ipsarum circuitus disponere, et stabilire dignetur, spectatis etiam temporalibus utilitatibus, quas in una potius, quam in alia Paroecia populus experitur.

DE-

(1) Vide Append. XLVII. XLVIII.

DECRETUM

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

§. I.

Quamquam post illa quae a Sancta Synodo sapienter decreta fuerunt, ut de sacrorum Ministrorum dotibus, et vocatione certo constet, sperandum in Domino sit, ambulaturos omnes digne pro characteris sui sanctitate, abstinere non possumus, quin de vita et honestate Clericorum nonnulla subiiciamus, divinae sententiae memores, qualis erit Sacerdos, talem futurum et populum ipsius curae commissum.

II. Quare antiquis sanctorum Conciliorum Laodicaeni, Carthaginiensis, et Tridentini decretis hac in re adhaerentes, omnibus, qui per clericalem tonsuram in haereditatem et sortem Domini adsciti sunt, multo magis vero omnibus Sacerdotibus Dioecesis Cooperatoribus et Plebanis prohibemus, ne quacumque de causa publicis omne genus spectaculis, choreis, ludis, et privatis ludorum conventiculis assistant, ubi cum magno innocentiae detrimento mali mores, crapula, intemperantia triumphant, et Evangelii veritas ausu temerario conculcatur. Quae enim societas esse potest inter lucem et tenebras, quae communicatio inter Belial et Deum? Iam vero Sanctuarii Ministri meminerint, se mundi lucem esse, ut ab ipso erroris tenebras dissipent,

se

se esse imaginem Dei viventis ad eam super filios hominum revocandam destinatos.

III. Omnes insuper et singulos Ministros exhortamur, ut quantum cum proprii ministerii muneribus componi potest, omnem cum foeminis familiarem consuetudinem, et inutile colloquium devitent, quaecumque illae sint, sive propriae, sive alterius Paroeciae, sive eas in propriis domibus invisant, sive cum ipsis in Ecclesia colloquantur, ne videlicet illas in tribunali Poenitentiae nimium detineant: cum probe noverint, Dei Ministro non solum ab omni peccati macula, sed etiam ab omni umbra et suspicione mali abstinendum esse.

IV. Verum super omnia opus est, ut animarum Pastor Iesu Christi spiritu repletus sit, ut illum in suorum fidelium corda transfundat atque efformet, et in ipsis omne virtutum christianarum genus aedificet exemplo suo, humilitatem, castitatem, mansuetudinem, charitatem, liberalitatem, rerum terrenarum contemptum una cum ceteris virtutibus, quas in epistolis suis ad Titum, et Timotheum Apostolus commemorat. Hinc Sancta Synodus exigit, ut unusquisque praeter Dioecesis catechismum sacrarum Scripturarum volumen vetus novumque Testamentum continens apud se habeat et retineat, ut Verbum Dei sacraeque litterae castae eius deliciae sint, et praecipuum quotidianae meditationis argumentum. Hic liber vitae omnes perfecit Sanctos, qui nos in scientia et pietate praecesserunt: Si autem liber iste, Deo miserante, omnibus hominibus datus est, ut eorum gressus dirigeret et firmaret, Sacerdotum custodiae peculiari modo traditus est, ut eo repleti populos eius participes faciant sancta et salutifera mysteria ipsis explicantes. Quo dulcior et suavior ipsorum palato cibus iste erit, hoc certius argumentum erit caelestium bene-

dictionum, quae ab aeterno Patre super Pastorem et populum effundendae praeparantur. Contra vero nausea et fastidium cor indicabunt adhuc terrenis affectibus mancipatum, graviterque de Pastore et populo timendi causam suppeditabunt.

V. In exercendis tamen muneribus, quae ad ecclesiasticum ministerium pertinent, e Parochi memoria numquam excidet, se civem quoque esse, et civilis societatis partem, cui scilicet ipsius bonum eo magis cordi esse debet, quo magis officii eius maiorem sibi populi aestimationem et fiduciam conciliat. Quare ipsius sollicitudo non tantum ad verbi divini praedicationem, et meram Sacramentorum administrationem restringenda erit, sed populi necessitatibus sublevandis paratum se exhibebit, iuvabit consiliis, afflictis compatietur, in familiarum discordiis componendis sequester intercedet, viduarum et pupillorum curam suscipiet; uno verbo in omnibus, et per omnia spiritualiter et temporaliter populum consoletur, dirigat, adiuvet, necesse est. Frustra tenero Patris nomine decoraretur, nisi simul eius nominis dotes in semetipso repraesentaret, et munera adimpleret.

VI. Haec arma sunt, quorum ope de gentium feritate olim Patres nostri triumpharunt, et Iesu Christi Evangelio viam aperuerunt. Atque hoc pariter consilio, ut optimi Sacerdotes, et simul optimi cives Ecclesiae donarentur, Sapientissimi Principis nostri pietas, et munificentia praeter Clericorum minorum Seminarium, Academiam quoque ecclesiasticam pro aetate provectioribus instituit, ut ne prius animarum regimini addicerentur, quam in socialibus et christianis virtutibus diu multumque essent exercitati.

VII. Hinc sacra Synodus sancte exultans sui mu-

muneris esse credit adeo laudabile institutum commendare, et Concilii Tridentini votis inhaerens per viscera Iesu Christi omnes Dioecesis huius Clericos exhortatur, ut ecclesiasticum curriculum non ingrediantur, nisi antea in illo Seminario vocationem suam probaverint, et inde ad Regiam S. Leopoldi Academiam transeuntes in ea doctrinae et pietatis exercitiis perficiantur, quorum exercitiorum tam uberes fructus iam nunc existere gratulamur.

VIII. Immo obsecundandum iure esse credimus Regiae Celsitudinis votis Epist. Enc. art. XVIII. ipsamque deprecamur, ut auctis censibus locorum gratuitorum numerus in eadem Academia ecclesiastica multiplicetur, ut tantae capiendae utilitati iis per egestatem via non praecludatur, qui cum vera vocatione ingenium et morum probitatem coniungant, unde Ecclesiae utiles existant.

DECRETUM
DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

§. I.

Collationum ecclesiasticarum institutio ipsi regiminis Ecclesiastici naturae, quod regimen unitatis et consilii est, veluti fundamento innititur. In his olim Dioecesis negotia expendebantur, dirigebatur disciplina, reformabantur abusiones, populi necessitatibus consultum erat, rei criminum iudicabantur. Fidelium multiplicatio Dioeceseon in Paroecias divisionem induxit, et sic nimis incommoda facta est huius consuetudinis continuatio. Igitur Decanatus institui coeptum est, et sancitum, ut singulorum Decanatuum Presbyteri certis temporibus simul adunarentur, ut Paroeciarum statum expenderent, et de recto ipsarum regimine deliberarent. Istorum conventuum scopus erat regiminis unitatem in Clero conservare, et integrum fidei depositum, et disciplinae rigorem in Paroeciis custodire. Haec methodus in Ecclesia usque ad ea saecula perseveravit, in quibus propter studiorum prolapsionem ignorantia, et eiusdem comes morum corruptio Clerum occupavit.

Posterioribus temporibus magis invaluit rerum omnium perturbatio, novis doctrinis inductis. Quippe vel de fidei summa variis opinionum commentis iisque inter se discordantibus inveniendis Scholastica viam ape-

aperuit; denique ad probabilismum, et ad laxismum convertit; immutatâ autem regiminis ecclesiastici formâ, obliti ministri Ecclesiae suorum iurium, quae simul ipsorum officia sunt, eo devenerunt, ut veram ministerii ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis notionem perderent. Hinc factum est, ut conventus Pastorum externam quamdam ad speciem redacti aut vacuis aridisque sermonibus occuparentur, quaestionibusque abstractis et scholasticis distinctionibus, aut versarentur in vocabulis meris, atque in solvendis ligandisque quaestionum vinculis; denique post altercationes, quas aut inanis subtilitas, aut Casuistarum auctoritas, aut ad summum alicuius pontificiae circa aliquam propositionem sententiae vis excitare solebat, totius rei definitio, eaque interdum problematica proferebatur. Dum igitur Dominus promissionum, quas Ecclesiae fecit, non immemor hanc vineam suam invisit, a culpa non excusaremur, si tanti momenti rem silentio praeteriremus. Itaque hoc institutum reformemus oportet, illud ad finem suum pristinum revocantes: hinc expedire iudicamus decernere quae sequuntur.

II. Episcopus aut per se, aut per Theologum a se electum cuiuslibet anni principio res eiusdem anni decursu tractandas proponet, easque eâ proponet methodo, ut paulatim universa Theologia exhauriatur; quod quidem octo annorum spatio conficietur.

Primum christianae religionis fundamenta expendentur, et isthaec, velut unici et securi fidei nostrae aeque ac morum regulae fontes, constituentur. De Scriptura, Traditione, et Ecclesiae auctoritate in proponenda doctrina, cuius ipsa custos est, et iudex infallibilis, disserendum erit, et ratio indicabitur, qua dignoscatur Ecclesiae vox in obscuratis aut oppugnatis veritatibus; hinc de duabus

potestatibus Dei vicariis in hominum directione sermo fiet; earum iura exponentur, simulque obligatio, qua iis obedire subditi tenentur; haec autem omnia tractatus de humanis legibus concludet.

His principiis constitutis fidei natura exponetur, quae a christianis praestanda est divinis veritatibus, et quomodo cum recta morum regula vitae ratio componenda sit; et hoc loco de humanis actibus; et de ipsorum bonitate et pravitate disseretur.

De Deo postea agendum erit, et de ipsius attributis, de Trinitate, de hominis creatione et lapsu, de Reparatoris necessitate, de mysterio Redemptionis, et de gratia eiusdem Redemptoris, atque haec omnia absolventur, expositâ virtutis spei naturâ, quae a Christianis in Deo collocanda est per merita ipsius Christi Reparatoris.

De propria deinde natura foederis inter Deum et hominem initi per Iesum Christum, et de legis ab ipso datae indole sermo instituetur. Indoles etiam exponetur charitatis, quae huius legis plenitudo est; officia ab hac charitate praescripta erga Deum et erga proximum explicabuntur, et ab his principiis praeceptorum Decalogi spiritus totaque ratio derivabitur. Tandem de Sacramentis agetur et de Oratione.

III. Hic est rerum tractandarum ordo. Interim expendenda his de rebus capita, et quaestiones Theologus proponet, easque ita propositas esse curabit, ut ipsam rerum substantiam attingant, et totum id quo se extendunt, complectantur. Ita vero illas proponet, ut cum doctrinae theoreticae declaratione praxeos, quae illi respondeat, dirigendae expositio semper coniungatur; insuper, ut si quae in eam praxim invectae fuerint abusiones, notentur, et prudentior ac tutior eas reformandi modus indicetur.

IV.

IV. Harum quaestionum tractatio atque explicatio praecipuam Collationum materiam constituet, et hoc ordine habebitur. In quolibet articulo id, quod ad fidem et ad Religionis essentiam pertinet, a re disciplinari distinguetur. Hinc huius disciplinae natura, scopus, ac proprietates expendentur; et in ipsa, quod ad fideles in spiritu retinendos necessarium aut utile est, ab eo discernendum erit, quod inutile est, aut tantum comparatum est ad fideles eo pondere gravandos, quod filiorum novi foederis libertati non convenit; multo vero magis ab eo distinguetur quod periculosum et noxium est, ad superstitionem quippe et ad materialismum inducens. Denique inquiretur, utrum in Paroeciis aliqua opinio vigeat perspectae doctrinae contraria, aut aliqua praxis obtineat constitutis disciplinae principiis minus consentanea; hisque reformandis opportuna remedia proponentur.

V. Ex puris autem Scripturae, Conciliorum, et Patrum fontibus, et ex venerabilis antiquitatis disciplina propositae quaestiones definientur. Si quibus vero recentioribus Auctoribus utendum erit, ii tantum eligentur, qui ex his fontibus omnia se haurire profitentur; et ideo in Collationibus singuli Auctores indicabuntur, qui de re proposita rectius disseruerint.

Erunt autem explicationes illae breves, clarae, et definitae; inutiles subtilitates, et scholasticae distinctiones non admittentur, sed rerum omnium natura, earumque inter se coniunctio plene et perspicue explicabitur.

VI. Qui sorte electus fuerit in Collatione antecedenti definitionem scripto proferet, et post ipsius lectionem quilibet aliorum in praelectam definitionem sensus suos exponet. Si quod sententiarum discrimen occurret; omni animorum aestu, et partium studio semoto, serio et inquirendae tantum veritatis amore,

controversia expendetur. Quod si nihilo minus unanimitas et certitudo non obtineretur, Praeses Collationis ea de re Episcopum admonebit, qui per se ipsum, aut per Theologum suum definitionem remittet.

VII. Definitio scripto exarata illi tradetur, qui a secretis est; hic vero postea brevem sed perfectam ipsius analysin patria lingua conficiet; addet insuper quid de illa protulerint, qui conventui interfuerunt, tum quid censura notatum fuerit, et in unoquoque articulo auctorum etiam nomina indigitabit.

In Collatione sequenti idem, qui a secretis est, hanc analysin sive summam leget, et cum fuerit approbata, Praeses, omnium nomine, eam subscriptione sua firmabit.

VIII. In hoc propositarum quaestionum examine Collationes versabuntur; et quoniam si quis in varias partes disserendo vagetur, in causa is esse solet, cur eadem doctrinae capita penitus, et qua late patent, non discutiantur, ideo talem abusionem praeverti atque impediri necesse erit.

IX. In fine tantum Collationis, qui aliquid nonnullius momenti pro bono generali procurando, et pro uniformitate custodienda proponendum existimabunt, uti pariter illi, quibus in suarum Paroeciarum regimine quidpiam contigerit, pro quo opus consultatione sit, haec ipsa proponent, et qui convenerint, mentem suam breviter et perspicue exponent.

Praesidis autem officium erit, quae proposita erunt et definita conscribere, ut de iis statuto tempore Episcopus instruatur. Quoties vero res proposita magni momenti sit, aut in Collatione certo definiri non potuerit, Praeses statim ea de re Episcopum admonebit.

X. Conventus autem decenter, et in loco ab

ab Episcopo determinato fient. Semel in mense indicentur, exceptis Augusto, Septembri, et Octobri: Parochorum, qui interventuri sunt, numerus erit pariter determinatus. Si vero propter temporum incommoda conventus intermittendi sint, in arbitrio Praesidis erit eos anticipare aut differre, ac sublato incommodo restituere, sicuti et vacationum menses immutare.

Ad hos conventus omnes determinati circuitus Presbyteri accedent; si qui vero iusto impedimento detineantur, illud statim Praesidi nunciabunt, eidemque suam sententiam de propositis doctrinae capitibus scripto communicabunt, nisi propter infirmitatem impediantur. Singulae autem Collationes non minori quam duarum horarum tempore absolvantur.

OFFICIA PRAESIDIS.

XI. Praeses ab Episcopo eligetur, cuius nomine ipse per se singulis conventibus praeerit. Eius officium erit conventus indicere, et curare, ut statuta methodus debito ordine, gravitate, et sedulitate custodiatur. Plenam disserendi libertatem unicuique concedet, sed simul omnem compescet animorum aestum, et contentionem, sermonesque superfluos atque a proposito aberrantes impediet. Sedulo curabit, ut is qui a secretis est, accurate et veraciter in codice conscribat, quae in Collationibus disputata gestaque fuerint. Tandem ad Episcopum referet de statuto ordine rite custodito; tum etiam si quis recti ordinis et reformationis parum amantem se manifestaverit, praesertim si quis repugnacem se prodiderit, et pertinacem.

OF-

OFFICIA ILLIUS QUI A SECRETIS EST.

XII. Quem a secretis esse oportebit, is ab Episcopo eligetur. Hic vero statuta Praesidis in conventibus indicendis exequetur, quoties aliquid impedimento fuerit, quo minus determinatâ in antecedentibus die conventus haberetur; summam rerum, de quibus in singulis Collationibus tractatum fuerit, accurate conficiet; singulorum Collatorum sensus et obiectationes sincere referet, lectamque definitionem et confecta a se eius summam unoquoque mense ad Episcopum mittet. Librum autem apud se retinebit, in quo singularum Collationum locum et diem adnotabit. Quoties vero aliqua Collatio ultra statutam in antecedenti diem dilata fuerit, dilationis causam, tum quinam convenerint, quinam absentes fuerint, horumque excusationes proferet. Propositas quaestiones, et quinam de ipsis scripto tractaverint, quinam de iisdem praeterea disseruerint, qua fieri poterit, brevitate exponet. Peculiares quoque quaestiones, ab iis de quibus agitur rebus alienas, ipsarum Auctores, quinam ipsis responderint, tum etiam utrum unanimi consensu eae fuerint definitae, eadem brevitate referet. Denique futurae Collationis indictionem adnotabit.

ORDO IN COLLATIONUM ACTIS SERVANDUS.

XIII. Praeses vero Sancti Spiritus invocatione Collationem exordietur. Deinde qui a secretis est, rerum quae in antecedenti Collatione tractatae sunt, confectam summam perleget, eique Praeses subscribet. Legetur postea tractatus eius qui ipsum scripto allaturus erat;

tum

tum de lecto tractatu, et de ipsius argumento quid unusquisque sentiat, exponet. Hisce confectis, si quis proponendum quidpiam habeat, audiatur, et de propositis rebus in communi deliberetur, et definiatur; inde futurae Collationis dies indicatur, pertractandae doctrinae capita praelegantur, et qui de iis scribere debeat, sorte extrahatur, praeses denique recitet orationem: *Deus qui errata et dispersa congregas, et congregata conservas: quaesumus, super populum christianum tuae unionis gratiam clementer infunde, ut divisione reiecta, vero Pastori Ecclesiae tuae se uniens tibi digne valeat famulari*; *Per Dominum etc.* et consueta gratiarum actione conventum absolvat.

LI-

LIBELUS SUPPLEX

REGIAE CELSITUDINI

OFFERENDUS.

Praeses, et Patres in nomine Spiritus Sancti in dioecesana Synodo Pistoriensi legitime congregati, humillimi servi et subditi Regiae Celsitudinis, sincerissimo veritatis amore ope divinae gratiae perculsi, et flagrantissimo incensi desiderio illam conspiciendi in felicissimis hisce ditionibus magis magisque florentem, postea quam quaedam exterioris disciplinae capita ad Principis potestatem pertinentia mature considerassent:

Ad Regium Thronum obsequentissime prostrati, a summa Regiae Celsitudinis clementia, et religiosa pietate postulare unanimi consensu audent haec, quae sequuntur.

I. Ut Sponsalia, et quaedam impedimenta Matrimonium dirimentia aboleantur.

II. Ut iuramenta reformentur.

III. Ut festa cessent, quae non integri praecepti dicuntur, prohibitumque sit divinorum Officiorum tempore officinas apertas retinere.

IV. Ut Paroeciarum circuitus novo ordine stabiliatur.

V. Ut aliquod reformationis Regularium systema approbetur.

VI.

VI. Ut Concilium Nationale convocetur.

Huic autem humillimae supplicationi libellos memoriales subiiciunt, in quibus causae exponuntur, quae ad illos proferendos Synodum impulerunt.

DE

DE SPONSALIBUS ET IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

§. I.

Quisquis civilis Societatis indolem novit, supremos eiusdem moderatores postestatem habere non ignorat, pro quolibet civili subditorum actu atque contractu illas praescribendi leges, quae publico bono, quod a Religione et observantia divinarum legum inseparabile est, magis expedire cognoscuntur. Sacrae litterae, antiqui Patres, Sanctae Ecclesiae Doctores, pluresque Romani Pontifices, uti Gelasius I., Symmachus, duo primi Gregorii, Anastasius, Leo IV. etc. dum huiusmodi potestatem in Principibus unanimi consensu adstruunt, una quoque nos admonent, ut eam veluti a Deo derivatam fateamur.

II. Itaque cum Sponsalia proprie dicta actum mere civilem constituant, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, nemini dubium esse potest, ea civilium legum praescripto omnino subiacere.

III. Interim vero Sponsalium iam contractorum praetextu Sponsi non raro aut una habitant, aut ita familiariter inter se conversantur, ut in effrontem licentiam interdum ruant. Neque infrequentes sunt lites mi-

nus

nus honestae circa tempus promissionum, quae ceteris praecesserunt, et stupra, quae illas consecuta sunt; hinc illa nota sunt Matrimonia, quae cum magis a transeunte quodam animi motu atque aestu libidinis poenarumque metu, quam a sincera animorum coniunctione originem ducant, familiarum pacem perturbant, filiorum educationi impedimento sunt, et Societati scandalo.

IV. Quod si contractus quilibet legum civilium directioni subiicitur, certe contractus matrimonii, qui licet non indole ac natura sua, tamen in Ecclesia Christiana coniungi cum Sacramento debet, eidem directioni eo magis speciatim ac praecipue subiicietur, quod ab ipso tranquillitas, bona, iura, decusque familiarum peculiariter magisque dependent; ex quibus veluti ex elementis Principatus et Regna constituuntur.

V. Hinc illustriores Ecclesiae Doctores et Episcopi, sicuti Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, et Augustinus, ut de aliis taceam, et plena insuper Concilia, inter quae eminent Africana, et demum ipsi Romani Pontifices non solum secuti sunt plures Imperatorum leges circa Matrimonii validitatem, quae adhuc in Codicibus Theodosiano, et Iustinianaeo leguntur: sed ipsi eas promulgarunt aut commendarunt, easque inseruere codicibus pro ecclesiasticae disciplinae regimine compositis, et loco Canonum habuerunt.

VI. *Eos autem Consanguineos dicimus, quos divinae et Imperatorum Romanorum, atque Graecorum leges consanguineos appellant*. Hisce enim verbis mentem suam declaravit Generale Concilium Lateranense sub Callixto II., uti apud Gratianum legitur c. 35. 9. 2. can. 2. Tanto autem magis huiusmodi declaratio aestimanda est, quanto Ecclesiastici homines ab apocryphis pseudo-Isidori monumentis decepti plenam in Ma-

tri-

trimonio auctoritatem iam saeculo undecimo sibi arrogaverant: unde factum est, ut cognationis et affinitatis gradus pro libito amplificaverint, et restrinxerint. Quemnam vero ineptae illae rationes latent, quae tunc temporis productae sunt, ut rudiores hallucinarentur, et Magistratuum Principumque dissidia foverentur? Ad sextum consanguinitatis gradum impedimentum ab ipsa profluens extendebatur, propterea quod iuxta pseudo-Isidorum sex erant mundi generationes, et totidem hominis status. Innocentius vero III. aeque ingeniosus idem illud impedimentum ad quartum gradum reduxit, propterea quod ipsi quatuor visi sunt humani corporis humores, et quatuor naturalia elementa.

VII. Iam vero extra dubium est, et sacra Principatus iura praescriptioni non subiacere; et omnem Ecclesiae potestatem spiritualem esse, atque ad solam animarum sanctificationem referri. Neque minus certum est, Ecclesiam Christianam, legitimam divinarum legum interpretem, nec S. Ambrosii tempore, nec postmodum ullam cum iisdem divinis legibus repugnantiam in consobrinorum nuptiis agnovisse. Quod si ipsa sacramentalem benedictionem eius generis nuptiis interdum negavit, quando ab Imperatoribus eae nuptiae prohibebantur, tunc vero rursus concessit, quando ab iisdem permittebantur. Neque praetereundum est, in Ecclesia Graeca catholica civilem graduum computationem constanter servatam fuisse, quae ipsi cum Latina communis erat, antequam epistola quaedam S. Gregorio Magno falso attributa vulgaretur.

VIII. His positis, cum spiritualis cognationis, et publicae honestatis origo in Iustinianaeo Codice sit manifesta; cumque insuper observatum sit, hunc ipsum Imperatorem sexto Ecclesiae saeculo tam affi-

ni-

nitatem, quam naturalem cognationem sive quod ad contractum Matrimonii, sive quod pertinet ad successionis ius legibus suis provide direxisse, nulla superest dubitatio, ad supremum civilis Societatis Caput etiam aetate nostra ius idem natura sua pertinere.

IX. Quod cum huic Synodo Dioecesanae Pistoriensi persuasum sit, Regio Throno humiliter repraesentat, non satis provisum videri praesentibus in circumstantiis per ea, quae ad restringenda impedimenta Matrimonii contractum dirimentia a Sancto Concilio Tridentino cum Principum Catholicorum consensu stabilita fuere. Hoc vel ipsa necessitas probat, quae Dioecesanos frequenter impellit prae Communitatum suarum minus populosarum angustiâ ab huius generis impedimentis dispensationem postulare. Quod et familias insigniter gravat; et optima matrimonia aut periculose moratur, aut etiam interdum impedit; ac demum minus congruum est ad debitam legibus venerationem conciliandam; siquidem tanto magis eas vilescere constat, quanto frequentior conceditur dispensatio. Immo vero contingit non raro, carnales homines, dum ab humanis legibus secum facile dispensari sibi blandiuntur, ad divinas violandas audaciores fieri, pro quarum defensione, secundum Apostoli dictum, gladium Principes portant.

X. Ideo Regiam Celsitudinem eadem Synodus rogat, ut ipsa dignetur:

1. Omnem in foro vim sponsalibus denegare.

2. Tam spiritualis cognationis, quam publicae honestatis impedimenta penitus tollere.

3. Impedimentum tam affinitatis quam cognationis a quacumque licita, aut illicita coniunctione proveniens, in linea laterali et obliqua, ad quartum gradum iuxta civilem computationem reducere, omni sublata spe dispensationem pro iis gradibus ob-

tinendi, qui adhuc Matrimonii contractum dirimerent.

XI. Eadem vero Synodus a Religiosissimi sui Principis clementia excitata, ut suam sententiam declararet de omnibus, quae ad aliquem ex 57. articulis ad suae ditionis Episcopos missis referuntur, non praetereunda arbitratur incommoda, quae ex Matrimoniis tumultuarie et deprehenso inopinate Parocho initis exoriuntur.

XII. Haec itaque, praeter quam quod originem habent ab effraeni animi cupiditate, quae sacra aequissimae filiorum a genitoribus dependentiae iura non veretur, potius absente quam praesente Parocho celebrata dici possunt. Is enim, quin testes noverit, qui interdum et alienis induti vestibus, et armati se sistunt, vix prae animi perturbatione voces contrahentium audit. Quod si insuper consideretur, pro ceterorum multo minoris momenti actuum civilium validitate requiri, ut tum Notarius, tum testes rogati sint; persuasa Synodus, quod pientissimus Princeps verum Sanguinis Iesu Christi contemptum in huiusmodi Matrimoniis conspiciat, sperat quoque futurum, ut ipse imposterum ea considerare non dedignetur potius tanquam facinora recto ordini et publico bono adversa, quam veluti legitimos contractus, quibus contrahentes disponantur ad illam gratiam consequendam, quae gravissima Matrimonii onera illis levia et suavia reddere queat.

XIII. Considerans denique eadem Synodus, quanti periculi res plena sit, vagos homines ad Matrimonium admittere, spiritum sequi volens Sacri Concilii Tridentini, quod in similibus casibus Magistratuum civilium auxilium implorat, hunc libellum memorialem concludit REGIAE CELSITUDINI supplicando, ut imperare digne-

tur,

tur, ut Parochi pro nemine istorum hominum ad proclamationes procedant, quin a loci Iudice, aut ab alio Regio Ministro ad hoc deputato eius rei veniam obtinuerint.

Digitized by Google

PRO IURAMENTORUM REFORMATIONE.

§. I.

Frequens et immodicus Iuramentorum usus, qui inter Christianos invaluit, res maximi praeter ceteras momenti est, quae huius Sancti Concilii attentionem meretur.

Hoc magnum Religionis officium, quo creatura cum supremo suo Creatore adeo confidenter agit, ut ipsum veritatis rerum, quas affirmat, et fidei promissionum suarum veluti testem et vadem interponat: hoc magnum Religionis officium, quod in sacrilegam temeritatem vertitur, si ea destitutum sit circumspectione rigidisque iis conditionibus a Propheta Ieremia praescriptis, quae illud divina maiestate dignum efficiant: hoc nempe magnum ac tremendum officium in forensem formulam plerumque etiam inutilem conversum est, qua nimium saepe venerandum Altissimi nomen profanationi exponitur.

II. Iuramentum a veteribus cum quodam sacro horrore suspiciebatur. Gentiles vel solum rationis lumen secuti illud non usurpabant nisi in summi momenti rebus, maximeque extraordinariis eventibus, et cum adeo solemnibus formulis, ut ad maximam divinitatis, quae in humanis contractibus advocari in partes credebatur, ideam excitandam conducerent. Hebraei tantum illi fuerunt, qui imprudentissima, et maxime inverecunda frequentia iuramento abusi sunt.

III.

Digitized by Google

III. Carnalis iste populus, qui nisi tristi ferula non ducebatur, nec supra legis corticem sapiebat, non aliud in Iuramento reprehendendum novit nisi periurium. Invenit divinus Redemptor hunc populum illa prava implicatum consuetudine, ut in omni verbo divino nomine abuteretur, et in omni sermone iuramenta interponeret; perque universam terram dispersus iste populus inter nationes religione moribusque diversas eamdem impiam consuetudinem adhuc retinet.

IV. Reservatum erat legi gratiae, ut huic iudaico errori fraenum iniiceret. Etenim Iesus Christus ad rectitudinem, et simplicitatem homines revocans, non solum illos a periuriis abhorrere docuit, sed etiam ab omni iuramento abstinere; docuit a principio malo iuramenta profluere, quatenus divini nominis contemptum aut profanationem facilem reddunt, mutuamque diffidentiam pro fundamento habent; docuit demum oportere, ut internae puritati, et sinceritati, quae christiani nominis professione digna sit, assertiones nostrae respondeant, sensus animique affirmando, aut negando exprimantur.

V. Beatis Ecclesiae nascentis temporibus, cum adhuc recens divini Praeceptoris doctrinae memoria fidelibus inerat, nec adhuc aurea evangelica simplicitas corrupta erat, emissum sine extrema et ineluctabili necessitate iuramentum irreligiosum prorsus, et christiano homine indignum reputatum fuisset. Constans Patrum traditio demonstrat, iuramenta ferme pro vetitis habita communi sensu fuisse. » Homo Dei, „ scilicet Christianus, ait Auctor Constitutionum Apo„ stolicarum, neque per Solem, neque per Lunam, „ nec per Astra iurat, quia Dominus nobis non iurare » praecepit „. Et S. Iustinus in secunda pro christianis apologia: „ nos (inquit) non iuramus, sem„ perque verum dicimus, quia Dominus hoc nobis

„ illis verbis praecepit: non iurate omnino „. Tertullianus in libro de Idol. subdit: „ taceo de periurio, „ quando nec iurare quidem licet „. Similia habent S. Cyprianus, S. Clemens Alexandrinus, S. Basilius, S. Epiphanius, S. Io. Chrysostomus, aliique plurimi Patres, atque Concilia, quorum testimonia proferre superfluum foret.

VI. Christiana rectitudo, et debitum Domino Deo nostro obsequium, quod suadet ratio; et secundum Decalogi praeceptum iubet, quo passim quasi vi legis a iuramento abstinendum credebatur, non semper illicitum, vitioque obnoxium illud effecit. Apostolus Paulus exemplo suo monstraverat, aliquas esse posse occasiones, in quibus illud permissum, et necessarium sit. Quod vero in quibusdam circumstantiis sibi licere credidit Paulus, licitum Christianis est, dummodo similes caussae occurrant, et circumspecte atque prudenter id fiat. „ Non iuro, aiebat „ S. Augustinus, nisi quando ad iurandum necessitate „ compulsus sum; si absque iuramenti solemnitate „ fides mihi non adhibetur, multumque interest; ut „ credatur mihi, tunc omnibus rite perpensis, ple„ nus tamen timore atque tremore in haec verba „ audeo prorumpere: *coram Deo vobis loquor: testis* „ *est mihi Deus: scit Iesus Christus, quia non men*„ *tior*. „

VII. Hac veneratione atque cautela homines Dei spiritu pleni, et adeo tremendi officii sanctitate et excellentia perculsi iuramento utebantur. Verum haec tam laudabilis agendi ratio saeculorum decursu primum debilitata, denique evanuit. Cum christianorum pravitas cresceret, et mores corrumperentur, ille iurandi pavor, qui fidelium animos occupabat, crescenti magis magisque diffidentiae locum cessit; hinc pro lege ordinaria sancitum est, quod vix in extraor-

traordinariis, et maximi momenti occasionibus permissum fuisset. Omnes curiales actus cum iuramento coniungi, quodlibet morale corpus, universitates, tribunalia, dignitates, contractus proprium obtinere iuramentum coeperunt; ipsaque Curia ecclesiastica Iurisprudentiae feudalis normam secuta, in investituris, et in sacris etiam Episcoporum ordinationibus iuramenta adoptavit.

VIII. Nimium enormis huiusmodi iuramentorum multitudo eo maxime vitio laborat; quod eadem inutilia plerumque et inefficacia sint. Quae quadam inani specie exiguntur, universim sine caussae cognitione fiunt, aut conceptis verbis absque ulla animi attentione pronunciatis, aut manu supra librum clausum posita, qui quid contineat, ignoratur In Tribunalibus aut propositi tenacitas Religionis obsequio praevalet, aut aequivoca responsa, aut reticentiae exquiruntur, quae simul et veritatem tegere, et falsam conscientiae quietem parere possint; raroque evenit, ut aliqua iudiciis dirigendis accommodata atque idonea probatio hac ratione obtineatur. Denique in contractibus, et in ceteris quibuscumque pactis nihil actus validitati, et executioni accedit; haec etenim legum virtute obtineri possunt, et reapse obtinentur.

IX. At malum maximum, quod sine extremo dolore Sancta Synodus percipere nequit, est iuramenti contemptus, ac periculum; sive ut melius dicam certa periuriorum sequela, quae a iuramentorum frequentia necessario fluunt. *Semper abundantia contumeliosa in semetipsa est*, ait Tertullianus; et S. Augustinus epist. 157. ad Hilarium: *iurationem* (inquit) *cave quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur quam iurandi consuetudine, et in periurium saepe caditur, et semper periurio propinquatur*. Quod repetit S. Doctor serm. 180. et aliis locis; idem-

que habent alii Patres; atque haec quam recte scripserint, infelix experimentum docet.

X. His igitur aequissimis sensibus tacta haec Sancta Synodus continere se nequit, quin huius abusionis, quae tantum animarum saluti detrimentum parit, reformationem exoptet. Videt ipsa, iuramentum, quod ad hominum fidem firmandam, eorumque sinceritatem obsignandam institutum est, propter eum, qui invectus est, usum ad utramque destruendam inservire; videt per ipsum in omnibus Societatis ordinibus, et etiam in Clero dissimulationem induci, calliditatem, sanctiorumque rerum, et quae magnam venerationem merentur, despectum. Cum vero potestatis suae non esse cognoscat huic malo remedium afferre, illi innixa fiduciae, quam Episcopis hac de re in quarto ex Articulis ad eosdem missis Regia Celsitudo fecit, optimum ducit, ad clementissimi ac sapientissimi Principis pietatem recurrere, ut lege sua imperare dignetur, ut quae in Curiis tum Ecclesiasticis, tum Secularibus exigi solent iuramenta, qualia sunt, quae cum quis admittitur ad dignitates, officia, universitates, aut in alio quocumque curiali actu praestantur, omnino abolita sint; iis enim supplere poterit Princeps institutâ promissionis, testimonii, et obligationis formulâ, quae omnes effectus pariat, quos iuramentum parere hactenus creditum est.

PRO

PRO FESTORUM REFORMATIONE.

§. I.

Festa in Ecclesia Iesu Christi instituta sunt, ut divinarum misericordiarum recordatione, et illustribus Sanctorum exemplis fidelium charitas excitetur, ut doctrinâ religionis imbuantur, atque ut in exercitiis pietatis, quae interno et externo illius cultui, qui in spiritu et veritate se adorari praecipit, magis conformis sit, ex integro occupentur. Noluit quidem Ecclesia divini cultus, instructionis, et operum charitatis necessitatem diebus non festis excludere: immo vero generale pro singulis diebus praeceptum conservans, idem praecipue pro iis inculcavit, qui per anni cursum magis memorandas epochas, magisque gloriosos Sponsae Iesu Christi triumphos reducunt. Haec igitur christiana Festa pro nostri spiritus utilitate normâque instituta, proprio fine aeque distant a licentia carnali, et tumultuosa laetitia, qua gentilium orgia celebrabantur, et ab inertia sabbatica, qua Iudaei steriles rituum et legis ad iustificationem ineptae observatores detinebantur. Quantum ergo istorum festorum observantia a sancto institutionis eorumdem fine recedit, tantum ipsa in gentilem, aut iudaicam observantiam continuo degenerat.

II. Ut huius pessimae rerum conversionis causas ab hominibus rudibus et carnalibus removeret, nil ali-

aliud in Evangelio Christus effecit, quam ut antiquum sanctificationis Sabbati praeceptum innovaret. Magna porro moderatione in diebus festis multiplicandis usi sunt Apostoli, fideles doctrinae executores, quam ipsis divinus Praeceptor tradiderat, eorumque Successores Episcopi primorum quinque saeculorum decursu paucissimos de novo instituerunt. Probe enim ipsi noverant, eo magis venerabiliora esse festa, quo rariora sunt, nec Ecclesiae christianae splendorem aut sanctitatem in festorum multiplicitate, sed potius in bonorum fidelium numero reponendam esse. Hinc numquam maior dierum festorum cultus enituit, quia numquam rarius recurrerunt; neque magis decora fuit Ecclesia, quia numquam meliores christiani extitere. Verum violenta barbarorum in occidentalem Europam et in meridiem irruptio disciplinam Ecclesiae depravatis ipsorum moribus corrumpens, neque festorum christianorum systema intactum a communi depravatione reliquit. Hinc enim Episcopi reputantes in melius mores esse vertendos, si populus Ecclesias saepius frequentare cogeretur, dies festos multiplicarunt, et simul etiam inutilem pro ipsorum observantia rigorem auxerunt. Inde vero populus externum potius quam internum cultum prosecutus paulatim sibi persuasit, ut Deo placeret, ipsum pluribus institutis festis coli oportere, quin de propriis moribus reformandis iuxta charitatis regulas cogitaret. Hoc permotus errore, quem ignorantia peperit, et deinceps Cleri cupiditas fovit, inordinatae devotioni totum sese dedit, brevique eo ductus est, ut dies festos propria auctoritate decerneret, quos festos devotionis, voti, et popularis consuetudinis appellarunt. Horum pseudodevotorum importunitas opinione suffulta, quam tunc temporis Regulares obtinebant, tot postea fe-

sto-

storum, quae universam Ecclesiam brevissime occupaverunt, approbationem, aut concessionem surripuit.

III. Verum apposite Canonicis Lugdunensibus, occasione novae festivitatis Conceptionis B. Mariae Virginis, S. Bernardus dicebat epist. 174. festorum pluralitatem non exsulibus Evae filiis, miseris lacrymarum vallis habitatoribus, sed Caeli Civibus convenire. Et revera, cum novorum festorum institutio ex veteribus non observatis, et ex falsis notionibus naturae, et finis earumdem solemnitatum originem duxerit, mirum non est, si populus omnium contemptor evaserit. Gentilis enim licentia, et iudaicum otium ad christiana festa profananda coniunxere vires; hincque tantum abest, ut festa ad fidelium charitatem excitandam inserviant, ut potius augendae concupiscentiae, quae peccati Adae maxime abominanda filia est, occasionem praebeant. Hinc populus, qui maxime doceri indiget, dum diebus festis religionis suae scholas frequentare deberet, comessationibus, ebrietati, ac ludo vacat. Hinc denique dum fidelium spiritus diebus Sanctorum memoriae consecratis sancta quadam laetitia commovendus esset, dum unica eorum fiducia misericordia Dei, qui Servos suos sanctificavit, roboranda esset, veterum bacchantium furores et crimina in rudi quidem populo profana ebrietas renovat, divites autem inter nuditatem, calamitates, atque miseriam fratrum suorum luxurians fastus et ostentatio ad vanitatem, superbiam, et immisericordiam exercendam sollicitat. Uno verbo talis est in hac saeculorum faece festorum abusio, ut proprie loquendo non nisi peccatis multiplicandis, et aggravandis inserviant.

IV. At vero cum spiritualibus damnis etiam corpo-

poralia coniunguntur; quare non minus Reipublicae, quam Ecclesiae interest, ut hisce malis promptum atque efficax remedium adhibeatur. Abstinentia ab operibus servilibus, quae eo tantum fine diebus festis praecepta est, ut ipsorum sanctificatio promoveatur, tantum abest, ut in hodierna morum relaxatione, et nimia festorum christianorum multiplicatione finem suum consequatur, ut potius ipsorum profanationi materiam subministret, et non parvum privatae publicaeque oeconomiae afferat detrimentum. Cum humani spiritus ignorantia non sineret, ut populus probe cognosceret, servilium operum prohibitionem eo tendere, ut in charitatis operibus magis se exerceret, in huius praecepti cortice stetit, et ab operibus abstinens satis adeptum credidit finem praecepti; per quod tamen sanctificationi festorum obstaculum removetur, non adiumentum suppeditatur. Hinc cum servilium operum abstinentiam veluti praecipuam divini cultus partem accepisset, ridicula atque digna lacrymis iudaicae interpretationis consectaria in christiano populo renovata sunt.

V. Diebus festis otium aeque sterile ac perniciosum laboriosis exercitiis succedit, et dum omnia, quae ab ipso inseparabilia sunt, mala producit, Ecclesiam dierum sacrorum profanationem plangere, et de suorum civium damnis atque miseria Principatum dolere conspicimus. Adeo evidenter festa cum publica oeconomia ex hac parte connexa sunt, quantum evidens est, omnium regnorum vim atque felicitatem ab annuae reproductionis quantitate dependere, sive ab operum laborumque hominum summâ, qui artibus, commercio, et agrorum culturae vacant. Donec festa intra prudentiae, et charitatis limites restricta fuere, damnum quidem patiebatur Principatus, sed tolerabile, utpote necessari-

um

um aut saltem utile ad aequilibrium inter bonum populi spirituale et temporale servandum. Verum statim ac inordinatae devotionis spiritus una cum festis dissipationis et inertiae dies pro artificibus multiplicavit; industriae iura manifeste laesit, fructus, atque divitias tum privatas tum publicas imminuit, atque inutiliter, immo cum divini cultus detrimento, et Ecclesiae dolore bono publico detrimentum attulit. Ad hoc politicum vinculum inter festa et Principatum alludere voluit Pius IV. populo Romano respondens, qui de novo ab eo Pontifice imposito pro frumento vectigali querebatur: *Vos longe iustius de Paulo IV. deplorare par est, qui solidum vobis diem et labori destinatum subtraxit, instituta Cathedrae S. Petri celebritate.*

VI. His publici boni considerationibus praecipue impulsus Augustissimus gloriosae memoriae Parens, et Decessor REGIAE CELSITUDINIS lege die 18. Septemb. ann. 1749. promulgata ad aliquam festorum reformationem processit. Plura posterioribus saeculis invecta ad solum Missam audiendi praeceptum redacta sunt, et opera omne genus sicuti in aliis profestis diebus permissa. Quamvis haec Constitutio maximi tunc temporis momenti esse videretur, et sufficiens politicis malis remedium, nihilominus Pistoriensis Synodus continere se nequit, quin supremae R. C. prudentiae humiliter subiiciat considerationes et vota sua hac super re, cuius ex aequo interest Ecclesiae et Reipublicae.

VII. Quamvis lex anni 1749. praesertim respiceret dierum augmentum, quibus operari licitum esset, proprio tamen ipsius reformationis vitio totum finem suum consecuta non est. Subsistens enim adhuc praeceptum Missae sacrificio assistendi his diebus festis reformatis, non solum falsam in populi mentibus opi-

opinionem roborat, qua creditur sanctificari festa per solam divino Sacrificio assistentiam, sed etiam confert ad alias non minus falsas persuasiones confirmandas, quibus hi dies cum festis integri praecepti confunduntur. Cum enim populus natura sua ad otium magis, quam ad laborem sit proclivis, his occasionibus libenter utitur, ut Religionis velo pigritiam suam contegat. Hos dies, quos *semifestos* vulgus appellat, artificum coetus more suo, idest otio et liberiore animi relaxatione sanctificandos arbitratur. Qui prae ceteris moderati sunt, officinas suas per dimidiatam diem apertas retinent, quod reliquum est, festivitati, nempe quieti iudaicae, aut gentili fere laetitiae consecraturi. Rusticorum vero genus, et eorum maxime, qui non multum ab Urbe distant, dies omnes festos sive reformatos, sive Dominicos nullo discrimine eodemque loco habet, et praetextu audiendi Missam turmatim in Civitatem venit, et ab operibus suis distrahitur. Generatim autem, quamvis ut praecepto Missam audiendi satisfiat, brevissimum tempus sufficiat, tamen cum de iis praesertim agatur, qui rura incolunt, ubi parochialis Ecclesia a domiciliis remota est, matutino tempori prorsus insumendo praeceptum hoc inservire certissimum est, quod quibusdam tempestatibus est opportunius, immo unicum, quo rusticanis laboribus vacare possint. Ad cives vero quod spectat, quibus implendi praecepti commodum maius est, occasionem tamen hoc ipsum foeminis praesertim suppeditat per urbem vagandi cum operum suorum, et eius, quam domibus suis Matres-familias debent, assistentiae detrimento. Lex igitur huiusmodi, quin plenum effectum suum obtineret, malae certe instructionis causa plurimum contulit iustificandae in praxi scandalosae laxorum Casuistarum opinioni, qui festorum sanctificationem ad

so-

solam incruento Altaris Sacrificio assistentiam restringunt.

VIII. His serio expensis, Sancta Synodus illius providae legis consilio et fini obsecundare cupiens, et a christianis festis omnem profanationis causam removere, Regiae Celsitudini suppliciter proponere deliberavit haec quae sequuntur.

1. Cum nullus dies festus sit praeter diem Dominicam, quae veteris legis Sabbatho successit, certa et indubitata gaudens apostolico-divina institutione, ad venerationem huius magnae diei procurandam valde utile videretur, ad ipsam dumtaxat praeceptum festi restringere, ac libertatem populo restituere suam ceteris omnibus anni diebus industriam exercendi, Dominicis exclusis, ad quas aliae Domini Solemnitates transferri commode possent.

2. Persuasa Synodus Episcopos, qui in Dioecesi sua ecclesiasticum novorum festorum praeceptum instituerunt, eo quo pollent iure in ecclesiasticam disciplinam mere spiritualem, illud abrogare posse, Regiam Celsitudinem deprecari statuit, ut assensione sua probet, quod Episcopi praeceptum tollant audiendi Missam iis diebus, qui in articulo primo laudatae legis diei 18. Septemb. 1749. festi non declarantur; atque imperet, ut deinceps post hanc reformationem memorati dies nullatenus notentur, aut ab aliis profestis distinguantur.

3. Itaque cum hisce diebus omne publicae festivitatis vestigium ac praeceptum cessaverit, vigiliae vero provide fuerint institutae veluti praeparationes ad festa per sensuum mortificationem, atque ieiunium, has pariter ab Episcopis prorsus abolendas esse consequitur. Verum considerans Sancta Synodus impense commendatam a Concilio Tridentino sententiam (*sess.* 14. *de Sacr. Extr. Unct.*)

To-

tota christiana vita perpetua poenitentia esse debet : adduci non potuit, ut vel minimam in vero christianae poenitentiae spiritu relaxationem inveheret. Hinc pluribus Patribus opportunum visum est, si pietas et auctoritas ipsa Principis exhortaretur Episcopos, ut ieiunii et abstinentiae a carnibus praeceptum ab iis vigiliis ad feriam quartam et sextam quatuor hebdomadarum Adventus transferrent, unde ieiunium, quod antea disponendis ad Sanctorum festa christianis inserviebat, deinceps efficax adminiculum sit, quo ad Christi adventum omnis sanctificationis auctorem et fontem ii se praeparent.

4. Quoniam vero contingere posset, ut populus relinquere nolens consuetudinem vitiorum, quae in antiqua festivitatum inertia contraxit, providae huius Constitutionis fini non obsecundaret, ideo Synodus R. Celsitudini audet proponere, ut articulum septimum laudatae legis anni 1749. perfectae atque promptae executioni restituat, in quo scilicet articulo multa utiliter pro illis provisa sunt, qui integris diebus festis abolitis sine legitima causa officinas suas apertas non tenerent.

5. At si charitas, quae semper Ecclesiam movit in suorum fidelium regimine, ea est, quae huic Synodo persuasit praecepta sua sic temperare, ut aliquibus diebus cuiuslibet festivi apparatus abolitionem proponeret, eosque dies ex integro restitueret illorum hominum labori et industriae, qui in sudore vultus sui sibi victum comparant; domûs Domini zelus, iustitia, et charitas hanc Synodum pariter excitant, ut perfectam dierum festorum sanctificationem promoveat, omnemque tollat occasionem, qua fideles ab Ecclesiis absint, animoque a re sacra distrahantur. Ad hunc finem, quem Regia Celsitudo in tam multis legibus provide ac sapienter prae oculis ha-

habuit, eidem sancta Synodus humiliter supplicat, ut potestate a Deo sibi concredita opportune et efficaciter utatur ad maiorem christianorum festorum cultum, et sanctitatem procurandam. Postrema R. CELSITUDINIS lex circa exercitium contractuum, et quarumdam artium, quae diebus festis tolerantur, ad debitam publico bono servitutem cum praeceptorum religionis observantia conciliandam sapienter est ordinata. Sed REGIAE CELSITUDINI sub oculos ponere Synodus cogitur, ex data quasdam officinas, quae publico commodo necessariae visae sunt, apertas retinendi venia id consequi, quod artifices, et mercatores iis addicti nedum publicis institutionibus interesse negligunt, quia negotia sua deserere non possunt, sed etiam, ne alii intersint, occasionem praebent. Hinc frequenter magno cum scandalo, quod a bonis omnibus lacrymas exprimit, otiosis hominibus refertae conspiciuntur tabernae vulgo *di Caffè* atque tonsorum, qui in Societate artem prae ceteris luxui inservientem exercent, cum interim Ecclesiae parochiales, dum Evangelium explicatur, non paucis auditoribus destituuntur.

IX. Ut afferatur huic malo remedium ipsaque eius caussa tollatur, opportunum Sancta Synodus arbitratur, R. CELSITUDINIS pietatem per Dei viscera obsecrare, ut iubere dignetur, omnes tum Civitatis, tum ruris officinas sine ulla exceptione claudendas esse, et omnibus cuiuscumque generis venditoribus, qui in plateis, aut in foris determinato loco consistunt, sive qui Civitatem aut rura circumeunt, omnino prohibitum esse eo tempore quidquam vendere, aut vendendum monstrare, quo officia ecclesiastica celebrantur. Verum ut pravae interpretationi, quae legem destrueret, locus eripiatur, declarare R. CELSITUDO posset, in quibuscumque Oppidis

Digitized by Google

et locis unica est Ecclesia parochialis, ibi vigere prohibitionem huiusmodi toto sacrorum officiorum tempore, quae mane ad Missam parochialem, et post prandium ad Institutionem Christianam, ad Vesperas, Catechismum, et benedictionem cum Eucharistico Sacramento reducuntur. In Civitate autem, ubi plures Paroeciae habentur, eadem haec prohibitio constanter ab hora nona matutina ad undecimam, et ab hora secunda pomeridiana ad quartam protendi deberet autumnalibus et hibernis mensibus, vernis autem atque aestivis ab hora quarta ad sextam. Sic rerum, quae necessariae sunt, officinae quatuor tantum diei horis clausae manerent, ideoque nullum inde publico commodo detrimentum obveniret, tum quia hoc intervallum cum integra die comparatum valde exiguum est, tum quia populus hac lege instructus se se opportune disponeret, ut propriis necessitatibus provideret.

PRO

Google

PRO NOVO PAROECIARUM CIRCUITU.

§. I.

Ut in dierum festorum sanctificatione fideles quidem cum proprio ac legitimo Pastore facilius adunentur, Pastores autem spiritualibus fidelium necessitatibus diligentius atque impensius assistant, campestrium Paroeciarum circuitus non est a nobis praetermittendus.

II. Minus accurata populorum divisio ab initio instituta, agriculturae progressus, per quos familiae et domicilia multiplicata sunt, variaeque vicissitudines, quae plurimorum saeculorum decursu contigerunt, irregularibus paroeciarum finibus causam certo dederunt, atque ne inde natis incommodis provideretur, obstiterunt.

III. In hac sane Dioecesi quasdam Paroecias adeo videmus amplas, et populosas, ut earum ministerio unius Parochi duorumque Coadiutorum opera interdum non sufficiat. Alias quoque videre est, quae licet angustae sint, et parvo animarum numero constent, Ecclesiam in extremis Oppidi finibus aedificatam habent, propter quam plures etiam alterius paroeciae familiae commorantur. Hinc propter longarum ac difficilium viarum incommoda Parochorum sollicitudo retardatur, eademque de causa pii fideles detinentur, ne ad publicas preces sub Pastoribus sibi a Deo datis accedant. Inde igitur fit, ut non tantum negligentiâ, sed veris difficultatibus impedi-

ti plures proprii Pastoris vocem rarissime audiant, festisque diebus auditâ tantum Missâ contenti sint, aut semper ad Ecclesias minus distantes accurrant, Religionis muneribus satisfacturi.

IV. Itaque sancta Synodus renovare satagens antiquam ac venerabilem disciplinam, fidelibus praescribentem, ut proprias Paroecias frequentent, huiusmodi inspectis incommodis sperat ab Episcopo opportune consultum iri iis Paroeciis, quarum amplitudo in causa est, ut et propter modum loci, et propter populi multitudinem diligens animarum cultura nimium difficilis existat; ad alias vero, quod pertinet, quae in extremis potius finibus, quam in ipso oppido sitae sunt; Sancta Synodus id unice provideri posse existimat, ut novus cuiuslibet Paroeciae ambitus determinetur, quo domus et familiae Ecclesiae paroeciali viciniores eidem aggregentur.

V. Quapropter Synodus regium Principem humiliter supplicare statuit, ut hoc negotium dignetur expendere, et ea decernere, quae magis opportuna videbuntur, tum ut hic novus ambitus determinetur, tum ut occurratur incommodis, quae per eos fortasse oriri possent, qui ab alicuius Paroeciae ambitu excluderentur, in qua antea variis charitatis subsidiis, dotibus nempe, distributione panis, aliisque similibus commodis fruebantur.

PRO

PRO REGULARIUM REFORMATIONE.

§. I.

Inter praecipua disciplinae capita, ad quae expendenda nos excitat Sapientissimi, ac Religiosissimi Principis nostri pietas in aurea sua Encyclica ad omnes Etruriae Episcopos directa, Articuli LVI. et LVII. circa apprime necessariam Regularium reformationem versantur. In hac igitur tanti momenti re curae nostrae, atque sollicitudines aliquantulum sunt impendendae.

II. Negari certe nequit, Regularem sive Monasticam vitam primis saeculis inter praecipua Ecclesiae decora refulsisse. Quis beata illa tempora sine christiana exultatione repetere memoria possit, quae has Christianismi scholas adeo ferventes in prima sua institutione viderunt? Crudelium persecutionum furor aetati illi quasi condonandus videretur, unde nimirum sacris his institutis occasio nata est. Cum Tyrannorum idololatrarum ferociâ, et pertinaci bello, quod per tria saecula adversus Iesu Christi sectatores perduravit, eorum plurimi, ut Deo secure et quiete servirent, exilium sponte subire compulsi sunt, tunc populosae paullatim apparuere solitudines, tutumque innocentiae et fidei perfugium nemora praebuere. Quam vivide et nobiliter illorum animum, qui res quasque iuste aestimant, tunc temporis percellere debuerunt illustres illi viri, qui derelictis commo-

dis et honoribus, Magistratibus atque militia, felicem illam Christo serviendi libertatem, quam insidiatrix Idololatriae praepotentia illis eripere conabatur, inter nemorum horrores quaerere instituerunt! Hinc intelligere quisque poterat, inita illa flagrantissimo studio consilia, miraque adeo exempla a multis imitanda fore, qui de conservanda fidei puritate cumprimis essent solliciti. Iis igitur se plures coniunxerunt, cumque vicissim aliorum institutis et exemplis proficere vellent, saepius una vixerunt; indeque illud vitae genus, quod Monachismum dicimus, originem habuit.

III. Admirabilem hanc perfectionem diu retinuit Oriens, illamque hominum poenitentium successionem florere vidit, qui cum Martyres defuerunt, nihilo minorem gloriam Ecclesiae peperisse crediti sunt. Ab Oriente ad Occidentem transiere monachi, ex iisque pariter illustria virtutum exempla fructusque provenerunt. Verum illa ipsa admiratio, quae illos adeo venerabiles efficiebat, iis nimium multiplicandis occasionem fecit; multitudo autem quasi necessario prolapsionem, et confusionem peperit. Nimis enim est difficilis virtutis via, humanaeque naturae corruptionem atque inclinationem ignoret necesse est, qui eam a multis diu teneri posse confidit.

IV. Apparuit malum, eique remedium quaesitum est; quod tamen nedum morbo mederi valuit, ipsum potius auxit. Quippe Monachorum numerus restringendus ad pauciores erat, minus dociles expellendi, et hoc pacto Monasteria minuenda. Sed alia inita via est. Manentibus enim adhuc veteribus Monasteriis, in peius iam prolapsis, nova aedificata sunt, in quibus disciplina reformaretur. Haec vero etiam primorum exemplo brevi retro sublapsa referri visa sunt: itaque auctum malum, non sanatum est. Eamdem ratio-

tionem sequentia saecula usurparunt, mirarique subit, viros summos hanc repugnantiam, aut inutiliter, aut nullatenus agnovisse. Qui deinceps sub Mendicantium nomine Regularium Institutores apparuerunt, iisdem insistentes vestigiis eadem aequivocatione laborarunt. Hinc Ordines super addentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecerunt, nisi ut principem mali causam magis magisque propagerent.

V. Equidem non sola multitudo confusionem et corruptionem peperit; aliae quoque causae accesserunt, quas supervacaneum esset singillatim ad analysin revocare. Veluti nimia divitiarum copia, otii amor atque mollities, unde tam necessario manuum labori quaedam male concepta et otiosa, ut sic loquar, spiritualitas suffecta est; plurimarum Communitatum adunatio sub uno capite; abusio privilegiorum et exemptionum, quas vanitas saepe quaesivit, et cupiditas atque rationes politicae concesserunt; irregularis libido se se in ecclesiasticam Hierarchiam introducendi; illa denique arrogantia parvae nescio cuius monarchiae in Principatu sitae, quin illius pars sit de eiusdem bono, sicut oportet, sollicita; haec omnia potuere tam perversae horum tam nobilium institutorum prolapsioni praebere materiam, quae si in primo fervore permansissent, validum certe Ecclesiae propugnaculum extitissent.

Nos haec proferimus eo doloris sensu, quo quemlibet percelli necesse est, qui christiano spiritu tot nostrorum carissimorum fratrum vulnera considerat.

VI. Licentioris vitae homines, qui ex consectariis non bonis saepe nimium coniunctis cum humana infirmitate, et ex peculiaribus vitiis aliquorum, esto etiam multorum, occasionem arripiunt Ecclesiae sacrisque eius institutis insultandi, iamdiu

adversus Ordines Regulares cuiuscumque generis irruperunt. Ceterum si ratione ducerentur, gratoque animo praediti essent, fateri certe deberent, Monasticos Ordines meliori aevo doctrina et sanctitate floruisse, atque viros strenuos Reipublicae literariae non minus quam Ecclesiae suppeditasse. Num igitur filios omnes damnabimus, quia non paucos reos conspicimus, quin illis quidpiam ob praeclara patrum merita condonemus? Aut coetus illos omnino delebimus, qui ad veterem formam vetera quoque commoda forsitan referre possent?

VII. Tantum igitur abest, ut Sancta Synodus instituta monastica reprobet, ut immo ardentissime exoptet, adeo nobiles perfectionis et christianae simplicitatis scholas perpetuo manere. Ecclesiae splendori, et filiorum eius utilitati nimis conducit stabilis ac perseverans locus, ubi a dissipationibus, curisque mundanis remoti sancte et pacifice occupati christianis virtutibus assequendis sedulam operam dare possint; sed eaedem hae scholae, pro iis necessariae, qui virtute et viribus animi destituti sunt, ut inter saeculi insidias et corruptionem in vitae integritate consistant, dum removere student impedimenta virtutum, eadem multiplicare non debent. Dum vocationis titulo e mundo receditur, et continenter in ipso vivitur; dum status eligitur ad perfectionem in solitudine assequendam, et periculi plenae modis omnibus quaeruntur pastorales sollicitudines; dum instituti sui ratione mundo quis moritur, et vanitatis titulo ad Hierarchiam aspirat; nedum repugnantia in his omnibus apparet, etiam offendicula ad bene vivendum augentur, non adminicula multiplicantur. Accedunt periculosa consectaria eius vitae rationis, quae votis perpetuis alligata non satis expensis viribus, atque aetate iis expendendis ineptâ suscepta est. Haec omnia

eo

eo tendunt, ut qui probe hominem noverit, ut nunc res sunt, de stabili reformatione talium hominum desperet. Concilium Tridentinum malum hoc grande iam tunc vidit, eique occurrere desideravit: verum ut ipsius radicem evelleret, quemadmodum voluisset, illae circumstantiae non permiserunt. Sapienter quidem, sed nimis leniter quibusdam malis provisum, et feliciori tempori reformatio servata est.

VIII. Nos igitur illius Sancti Concilii mentem secuti, curisque paternis incomparabilis nostri Principis excitati, serio examine instituto, et habita tantum ratione utilitatis populorum, atque eorum, ex quibus Ordines Regulares componuntur, aut componi possent, muneris nostri esse arbitramur sequens reformationis systema Regiae Celsitudini offerre, ut illud expendere, et si libuerit, exsecutioni mandare dignetur.

IX. Tres fundamenti loco regulas Sancta Synodus admittit, quibus omnem inniti necesse sit utilem atque constantem Regularium hominum reformationem; sunt autem quae sequuntur.

1. Regularis, aut Monastica professio cum animarum cura, et vitae pastoralis exercitiis componi natura sua non potest; ideoque venire nequit in ecclesiasticae hierarchiae partem, quin cum ipsis vitae suae exercitiis ex adverso pugnet. Monachus ille est, qui e mundo recedit, ut in poenitentiae, et solitudinis spiritu sibi ipsi unice vivat. Qui postea Ordines successerunt, et Mendicantes appellati sunt, aut super eadem principia ab institutoribus stabiliti sunt, aut stabiliendi erant. Lites atque dissidia in his Ordinibus nata a prima ipsorum origine, virique summi absurditatem huiusmodi institutionum, abunde probarunt. Sanctus Thomas, et S. Bonaventura, aliique tueri istos Oadines utcumque

co-

conati sunt, sed in ipsis eorum defensionibus minor aestus animi, maiorque disserendi perspisuitas desiderata fuisset. Postremo quod eorum aliqui, et praesertim S. Bonaventura, protulerunt ad defensionem istorum Ordinum, satis ostendit, ipsos de tota vivendi ratione a fratribus suis inita parum contentos fuisse.

2. Ordinum multiplicatio atque diversitas perturbationem et confusionem suapte natura pariat necesse est. Quippe ex diversis et saepe pugnantibus desideriis ac finibus conspiratio atque concordia oriri non potest. Atque ad id intelligendum historiam vel leviter inspicere satis est, posteaquam tanta multiplicatio Regularium Ordinum est invecta. Nam cui nota non sunt dissidia, contentiones, aemulationes, odia, atque persecutiones, quae ab hac diversitate originem habuerunt! Cum vero hi Ordines late propagati potentesque essent, a privatis Regularium domibus ad civilem Societatem et Ecclesiam bella transiere; inde seditiones, schismata, haereses ortae sunt; parvaque liticula de verbo quopiam scholastico, ac privata contentio saepe in magnum negotium conversa est, gravissimasque et longas perturbationes in principatu peperit.

3. Tertia demum regula est, periculi plenum semper esse, parvum quoddam corpus in civili Societate existere, quin fere eiusdem partem constituat, et nescio quam in Principatu Monarchiam inducere. Singuli enim tot a communi societate exsolvi conantur vinculis, quot adstringuntur Communitati suae, cuius commoda publico bono saepe adversantur. Postea quam vero Principes insitam sibi sacram auctoritatem exercentes parva haec corpora a communi eorum centro separarunt, cuius opera Regulares quoddam aliud nimis extensum diffusumque corpus

pus

pius efformabant, malum quidem est imminutum, nunquam tamen auferetur, donec inter se privata Monasteria devinciantur, et monarchicam formam licet in statu particulari constituant.

X. His positis fundamenti loco regulis iure concludimus, non solum Principatus, sed etiam singulorum bono, qui vitam regularem agunt, aut ad illam admitti imposterum velint, hoc systema prodesse, quod sequentibus quibusdam articulis expositum est.

1. Unicus in Ecclesia Ordo admittendus esset, et S. Benedicti regula in primis eligenda tum ne ingrati videamur huic Ordini tam praeclare de Ecclesia merito, tum propter ipsius regulae praestantiam. Illa vivendi ratio, quam Domini Portus Regii inierunt, documento esse posset, quare si quid in his circumstantiis haud quaquam congrueret, adderetur huic instituto aut detraheretur. Sublato scilicet Ordinum discrimine, aemulatio, invidia, confusio, et systemata, sive commenta omnia sive politica, sive dogmatica, quae Ecclesiam tantopere perturbarunt, perpetuo obliterarentur.

2. Singuli hunc Ordinem componentes nullatenus deberent Ecclesiasticae Hierarchiae se immiscere; quare nec publica habebunt templa, nec ad Ordines sacros promovebuntur, aut ad summum unus vel duo ex ipsis tanquam Monasterii Curati aut Capellani sacris Ordinibus initiabuntur; ceteri in laicorum statu permanebunt. Dioecesis nostra manifestas huius instituti utilitates iam experta est, cum vigilantissimus et sapientissimus noster Episcopus omnibus Regularibus Ecclesias aperire diebus festis prohibuit, ut ad propriam Paroeciam ii venirent. Sic quoddam antiquitatis vestigium apparere coepit, cum a propria paroeciali Ecclesia diebus festis abesse crimen habebatur; verum hoc ipso plane ostenditur praesens

isto-

istorum Ordinum inutilitas, qui per hanc sanctionem otiari, nihilque agere coacti sunt, cum singuli fratres diversis addicti muneribus Principatui, Religioni, et semetipsis utiliores esse possent.

3. Unicum in singulis Civitatibus Monasterium esse oporteret, sed extra ipsarum moenia in locis remotioribus aedificatum, ne cum animi dissipatione, et scandali periculo vagandi occasio monachis praebeatur. Honesta pro singulis ad vivendum pensio stabilienda esset, et aliquis insuper modus agri concedendus, quo recreari, atque etiam honesto manuum labore exerceri possent.

4. Labor iste manuum a primis Ordinum Regularium Institutoribus adeo commendatus, aliquam monachorum vitae partem occupare deberet, concesso tamen psalmodicae, aut litterarum studio, si cui libitum esset, vacandi tempore. In psalmodia opus esset moderatione; ubi enim nimis diuturna sit, praecipitantiam parit, molestiam, et evagationem animi. Id enim constanter observatum est, quantum psalmodia, precesque auctae sunt, tantum modo servato Regularium pietatem et sanctitatem imminutam fuisse.

5. Nullum inter Monachos sive choro sive ministerio addictos discrimen admittendum esset; gravissimas enim lites atque discordias qualibet aetate haec inaequalitas suscitavit, et ab his Communitatibus charitatis spiritum abire coëgit.

6. Votum in hoc monasterio perpetuô manendi numquam tolerandum erit. Ignotum hoc fuit antiquis Monachis, qui tamen Ecclesiae laetitia, et Christianismi decus extiterunt. Castitatis, paupertatis, et obedientiae vota tamquam communis et constans omnium regula non admittentur; verum qui eadem vota aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen numquam per-

permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantum eadem renovandi facultas dabitur, sed iisdem conditionibus.

7. Episcopus eorum vivendi rationis, studiorum, et in christiana perfectione profectus inspector erit. Ipsos ad monasterium admittere, aut inde expellere ad eumdem Episcopum pertinebit, accepto tamen semper ab iis consilio, qui in eo Monasterio una vitam agitant.

8. Ordinum adhuc permanentium Regulares, licet Sacerdotes, in hoc Monasterium admitti possent, dummodo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent. Tunc vero a generali regula num. 2. statuta dispensari posset; verumtamen id observari constanter oporteret, ut etiam Sacerdotes non aliam et a ceteris discrepantem vitae rationem sequerentur; nec illis celebrare licitum erit nisi iuxta regulam superius positam, nempe ut una aut duae ad summum Missae quotidie celebrentur; Sacerdotes vero ceteri cum Communitate Sacrum facere contenti erunt.

XI. Idem modo servato pro Monialibus esset decernendum. Vota perpetua usque ad annum 40. aut 45. non admittenda: ceterum utilibus exercitiis, et praecipue labori addicendae erunt, praecipue vero a carnali nescio qua spiritualitate, qua earum pleraeque occupantur, removendae. Expendendum quoque esset, utrum ipsarum Monasterium in Civitate constitui expediret.

XII. Si Religiosissimus Princeps hoc systema approbare dignaretur, uti nos de ipsius exequendi necessitate persuasi, illum enixe precamur, doctis piisque viris id negotii dari posset, ut regulas perscriberent, quibus iis vita monastica constanter reddatur utilis, qui ad illam amplectendam animum appellent.

PRO

PRO CONVOCATIONE CONCILII NATIONALIS.

§. I.

Quisquis vel levi Ecclesiasticae historiae cognitione imbutus fuerit, necessario fatebitur Concilii Nationalis convocationem canonicam rationem esse praeter ceteras qua in singularum Nationum Ecclesia disceptationes de Religione finiantur.

II. Cum abusiones universim dilatatae fuerint, altioresque radices iecerint ac plerorumque consuetudine fuerint roboratae, necessaria ad eas evellendas virtute particularium Dioeceseon Synodi carent, tum quia in opinionum discrepantia fortiora inveniuntur obstacula, derivata tum ab ignorantia plus minusque in singulis Dioecesibus dominante, tum a singularum praeiudiciis, tum a partium studio, quod interdum in eadem Civitate, multoque magis integra Natione Ecclesiasticorum animos dividit; tum denique quia valde difficile est, ut omnes hae Synodi in omnibus his rebus considerandis, vel saltem gravioribus, ac generalioribus, in iisdem adminiculis adhibendis conveniant.

III. Verum licet etiam in singulis dioecesanis Synodis doctrinae et disciplinae uniformitas stabiliretur, secundum Regii Principis votum in eius Encyclica, ad omnes Etruriae Episcopos data, expressum, Concilium nationale Synodorum Dioecesanarum

rum decreta sacro veluti sigillo obsignaret, iisdemque tale pondus adderet, quo sanctionum integrae Nationis vim et auctoritatem obtinerent.

IV. Equidem cum unius Dioecesis consuetudines alterius disciplinae et mutabilibus institutis opponi e diametro conspiciuntur, cum uno in loco tamquam errores habentur quaedam doctrinae capita, quae alibi ut verissima dogmata suscipiuntur, valida pro timidis haec tentatio est, et pro seditiosis maleque feriatis hominibus fortissimum momentum, quo maiori cum audacia utilioribus institutis sese opponant, et nimium credulos, ignorantes, atque superstitiosos seducant. Molestiae praeterea et curae veritatis defensoribus accrescunt, et felix suscepti operis exitus retardatur, cum sicuti olim Hebraei Ierosolymis Templum instaurantes, una manu gladium stringere debeant, ut a schismaticis Samaritanis se tueantur, altera vero tenere instrumentum, quo templi spiritualis constructionem prosequantur.

V. Interim infideles et tumultuarii exploratores non desunt iis Hebraeis persimiles, quos in terram promissam Moyses misit, graviori difficultatum facinoris exaggeratione ab incepto itinere prosequendo deterrentes, quo ad pacificam veritatis possessionem perveniri possit. Nunc etiam politicus ille et schismaticus Ieroboam imitatores invenit, qui ut populorum subiectionem et obedientiam sibi certam faciant, mendacia idola erigunt, ut eos a vero Dei cultu retrahant.

VI. In hoc deplorando statu nullum certe efficacius remedium inveniri posse videtur convocatione Concilii Nationalis. At enim, dicet fortasse aliquis, numquid eiusmodi convocatio quorumdam hominum turbas, et seditiones moventium animum atque sententiam adeo immutabit, ut simul collecti iidem

iidem non sint, ac seiuncti atque dispersi? Si particulares Synodi in praecipuis magisque necessariis doctrinae capitibus non convenerunt, quomodo convenire poterit Nationale Concilium? Num alii sunt homines, qui definire debent; aut alia decreta condenda sunt? At si isthaec obiectatio quidquam valeret, omnia quoque nationalia Concilia, immo et oecumenica superflua fuisse, et in Synodis Dioecesanis idem obtineri potuisse iuxta probaret. Verum idcirco Nationalia Concilia congregata fuerunt, quia omnibus persuasum erat, per haec dumtaxat illud obtineri posse, cuius gratia convocabantur. Et sane in his Conciliis singulorum sententiae vicissim et liberrime communicari possunt, simul comparari, ad severiorem trutinam revocari, rationes expendi, et de adminiculis adhibendis conveniri, ut desideratus finis obtineatur. In tam frequenti et venerando consessu fraudes ac doli mali se in tantam lucem proferre verentur, timent revelari atque confundi. Illuminantur rudes, pusillanimes confortantur, triumphat veritas, et secura ipsius possessio redditur.

VII. Huius Concilii convocatio magnum publicae felicitatis Nationis nostrae opus perficeret, cuius iam nunc solidiora fundamenta adeo providis sapientissimi Principis nostri legibus iacta sunt. Extra dubium quippe est, Principatus felicitatem maxime a Civium concordia dependere; haec vero concordia a multis diversisque viribus prodit atque existit una conspirantibus ad compositam adeo publicae felicitatis machinam gubernandam. Negari autem nequit, harum virium maximam eam esse, quae a Religione proficiscitur; quemadmodum enim Religio pura et immaculata, in spiritu et veritate fundata, subditorum felicitatem perficere apta est; ita Religio superstitiosis, fantasticis, pharisaicis ritibus permixta,

ex-

externâ specie tantum occupata, et vivificantem spiritum negligens, eamdem illam felicitatem a fundamentis evertere potest. Temporales leges manum, non cor regunt; cor autem manum dirigit. Nec subditus nec fidelis minister civis esse potest, nisi verus christianus sit. Philosophos, sed non christianos saeculi sapientia efformat. Sententiarum consensus in iis, quae ad spiritum et praxim religionis pertinent, felicem epocham constitueret, quae publicam felicitatem, et tot gloriosa facinora Regnantis Principis cumularet. Ad ipsum, communem quippe subditorum suorum patrem atque tutorem, Religionis in Principatu suo vindicem et protectorem, ac velut externum Ecclesiae suae Episcopum spectat exoptatissimam hanc concordiam Concilii Nationalis convocatione procurare.

VIII. Eamdem auctoritatem in ditione sua Principes obtinent, qua in Imperio Romano Imperatores potiebantur. Iam vero sicut hi firmo et inconcusso iure pollebant Episcopos omnes in locum aliquem congregandi, cum Ecclesiae eorum bono id necessarium erat; ita principes, quando id Ecclesiae suae utilitas exigat, omnes ditionis suae Episcopos, cum iis libuerit, convocare possunt; et licet ad ipsos non spectet exortas de religione controversias definire, ad eos tamen certo pertinet res expendendas et definiendas proponere, et aptiorem ad haec praestanda rationem praescribere.

IX. Gallicana Ecclesia ius Concilia Episcoporum ditionis suae convocandi Principibus semper asseruit. Haec vero sententia, praeterquam quod numquam separabilibus a Regia Potestate iuribus nititur, primorum christianorum Imperatorum praxi et exemplo confirmatur, uti supra indicavimus.

X. A prima Regum Galliae stirpe ad eam, quae nunc regnat, Concilia Nationalia a Regibus convocata fuere; ipsique Pontifices hoc ius adeo constan-

ter. agnoverunt, ut ii, quemadmodum ex pluribus S. Gregorii epistolis liquet, ad Generalia Concilia congreganda, quando Religionis bono utilia aestimabantur, Principes sollicitarent. Huius propositionis argumenta videre est apud de Marca (*lib. 6. de Concord. cap. 7. et seqq., et cap.* 13.) ubi de fundamentis disserit Libertatum Ecclesiae Gallicanae. Primum Aurelianense Concilium Clodoveus convocavit; Quod in eadem Civitate secundo celebratum fuit, Childeberti, fratrumque eius iussu adunatum est. Alverniense Theodebertus, Tullense Theodebaldus; Carolus Magnus Arelatense sextum, Rhemense secundum, Turonense tertium, Cabilonense secundum; Carolus Calvus, et Lotharius Tullense secundum congregavit. Verum ut ad viciniora nobis tempora descendamus, celebres Cleri Gallicani Conventus anno 1398. et 1406. celebratos, et Bituricense Concilium, in quo pragmatica Sanctio stabilita fuit, Reges Galliae convocarunt. Tandem Carolus IX. Concilium Nationale colligere statuerat, si Concilium oecumenicum celebrare Romanus Pontifex distulisset.

XI. Reges Hispaniarum eiusdem iuris possessione gaudebant; quod perdoctus Sandovallius in vita Alphonsi VII. evidenter probat; idemque de ceteris catholici orbis nationibus dicendnm est. Atque haec omnia magna exemplorum copia demonstravit Natalis Alexander in *Historia Ecclesiastica* Tom. 5., Romanosque Censores ignorantiae, et malae fidei revicit.

XII. His aliisque pluribus de causis, quas brevitati consulentes praetermittimus, Ecclesiae Etruriae bono expedire, et necessarium esse iudicamus, Regii Principis Throno supplicem libellum offerre, in quo Concilii Nationalis convocatio postuletur.

Tri-

Tribus in hac Sessione perlectis decretis, et memorialibus libellis subscripserunt Patres una cum Praeside num. 233. At subscribere noluerunt hi qui sequuntur:

P. Ioseph Baldesi, *Parochus S. Prosperi, et Praepositus Oratorii*.

D. Franciscus Carobbi, *Parochus S. Petri Maioris*.

D. Antonius Gelli, *Prior Valenzatici*.

D. Marcus Vivarelli, *Parochus loci qui dicitur* Luogomano.

D. Fabricius Cellesi Canonicus.

P. Franciscus Tolomei, *Presbyter Oratorii*.

P. Philippus Baldi, *Prior Servorum*.

P. Aloysius Vivarelli, *Regens Servorum*.

Qui post istos nominantur Patres ita subscripserunt.

Ego Angelus Cigheri Plebanus Colonicae. *Omnia ad formam Concilii Tridentini*.

Ego D. Ioseph Matani non solum proprio, sed nomine etiam R. P. D. Francisci Lazzerini Plebani Quarrattae confirmo postremam meam subscriptionem etc. etc.

Ego P Philippus Bizzari Regiam Celsitudinem supplicaturus accedo pro convocatione Concilii Nationalis, M. prop.

SESSIO VII.

HABITA IV. KAL. OCTOBR. AN. 1786.

Cum ad Ecclesiam S. Leopoldi Episcopus pervenisset, genu flexo prope faldistorium praecinere coepit antiphonam : *Exaudi nos Deus etc.* atque cantato a collectis Patribus Psalmo : *Salvum me fac etc.* vestibus sacris indutus est. Post lectionem Evangelii S. Lucae : *In illo tempore : Convocatis Iesus etc.* hymnum : *Veni Creator*, canere aggressi sunt. Hinc Episcopus de more ad locum suum in pleno Conventu sese contulit, ubi oratione recitata : *Da quaesumus Ecclesiae tuae misericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, securâ tibi devotione servire mereatur : Per Dominum etc. qui tecum etc.* Synodum in haec verba allocutus est.

„ Venerabiles Cooperatores, et Consacerdotes, » huius Sanctae Dioecesanae Synodi Promotor in no» mine Domini publicabit Decretum de Constitu» tionibus Synodalibus, earumque auctoritate, quem» admodum postremo, cum haec Sessio indiceretur, » nunciatum est. Perseverantiae, et constantiae chri» stianae spiritus vobiscum maneat. „

Cum Synodus respondisset : *Amen*, unus ex Secretariis memoratum Decretum legit ; cumque Patres illud plene et unanimiter approbassent, primus Notarius actum scribendo firmavit, et Secretarius e pulpito loquens ita prosecutus est. „

» Placetne vobis, Venerabiles Viri, Praeses,

» Pa-

„ Patres et Consacerdotes, huic Sanctae Dioecesanae „ Synodo, quae in nomine Domini congregata, et a „ Divino unanimitatis et concordiae Spiritu ducta „ est, in spiritu sapientiae, charitatis, et iustitiae » finem imponere? »

Responderunt: *Placet*.

„ Placetne vobis interim communibus omnium » plausibus spectatissimo REGIAE CELSITUDINIS » Administro, amantissimo nostro, et studiosissimo » Patri Sancto Episcopo, clarissimo atque doctissimo „ Promotori, doctis et illustribus Theologis et Ca- » nonistis, qui in adiutorium nostrum suam operam » impenderunt, nostros grati animi sensus, et gra- » tiarum significationes ac vota testari, quae ex „ intimis animorum nostrorum penetralibus effusa » caelestium bonorum plenitudinem omnibus implo- » rent, et una cum desideriis sint coniuncta, quibus „ ardentissime exoptamus, ut sparsa in hac Sancta » Pistoriensi Ecclesia semina pro nostra et anima- » rum, quae nobis commissae sunt, salute uberes » fructus proferant? „

Responderunt: *Placet*.

» Cum vero in huius Sanctae Synodi decursu „ plures a Regio Secretario epistolas Praeses acce- » pisset, ut maximam REGIAE CELSITUDINI ob- „ servantiam suamque Venerabilibus Patribus conso- „ lationem testaretur, per quos cum Dei auxilio „ Sancta haec Synodus optimum exitum sortita est, » e re esse duxit, quas postremo accepit litteras » cum omnibus communicare „.

Illustriss. et Reverendiss. Dom. Dom. Colendiss.

REGIA CELSITUDO summo cum gaudio Domi nationis vestrae Illustriss. et Reverendiss. litteras una cum iis, quae in Synodo constituta sunt, accepit.

Libenter quoque audivit, Fabricium Cellesi Canonicum resipuisse, rectique vias iniisse.

Suas insuper maxime sinceras gratulationes tibi significat pro optimo, tranquillo, et concordi exitu, quem tanti momenti negotium sortitum est, bonique hoc exempli futurum sperat, et epocham hac in re facturum; idque secus fieri non poterat, cum a spectata prudentia, zeloque D. V. Illustriss. et Reverendiss. omnia dirigerentur.

Doluit vero REGIAE CELSITUDINI, quod his diebus salutis incommoda pertulerit, nec huc se conferre potuerit, ut adeo venerabili Conventu frueretur; nunc vero melius se se habenti gratissimum erit videre D. V. Illustriss. et Reverendiss. die Veneris proximâ, quemadmodum in ipsa eius epistola nunciatum est.

Honori mihi duco obsequiosissime me profiteri.

D. V. Illustriss. et Reverendiss.

Ex Regia Castelli Villa
die 27. Septemb. 1786.

Addictissimum Servum
Fulger.

» Si tam magni religiosique Principis clementia
» et humanitas nos omnes cogunt, ut peculiari ra-
» tione Dominum deprecemur, ut pro Ecclesiae
» Etruscae, eiusque fidelissimorum subditorum
» bono plures felices annos ipsi concedat, amoris

et

„ et grati animi sensus, quem ipsi profitemur, non „ minori obligatione nos urgent, ut publicum illi „ testimonium exhibeamus. Placetne igitur vobis, „ Venerabiles Patres, ut Plebanus S. Andreae, et „ Plebanus S. Iusti *in Piazzanese* tamquam Sy„ nodi Deputati una cum Praeside ad R. CELSITUDINEM se conferant, gratias acturi pro speciali „ protectione, quam benigne nobis impendit, „ et approbatas in sexta Sessione supplicationes „ eidem humiliter exhibituri? „

Responderunt: *Placet*.

Hac lectione expleta Patres omnes surrexerunt, et Episcopus sequentem Orationem recitavit.

OREMUS.

Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffensè possit tuae voluntatis iudicia experiri: et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia nostra remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceps forsitan voluntas impulerit iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebratate contraximus, te miserante indulgentiam sentiamus: ut in eo quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

 Post

Post haec ipse praecinere coepit solemniter *Te Deum*, et inde ad Cathedram se contulit, eodemque ordine in prima Sessione observato solemnis ad Cathedralem Ecclesiam processio inchoata est. Tunc sonitum dedere omnes Civitatis campanae, quemadmodum in Synodi ingressu, et in cuiusque Sessionis initio factum fuerat. Processione absoluta, et ad propria loca in Cathedrali stantibus, Episcopo, Patribus, omnibusque Theologis et Canonistis deputatis, Cantores versiculum protulere: *Benedicamus Patrem et Filium cum Spiritu*, et Chorus respondit: *Laudemus, et superexaltemus eum in saecula:* dein Episcopus sequentes orationes cecinit:

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus praestas auditum: pro postulationibus nostris, votisque susceptis gratias agimus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum etc.

His effusis precibus D. Canonicus Archipresbyter Ioseph Sozzifanti Missam de SS. Trinitate solemniter celebravit, cui pontificali ritu Episcopus adstitit; in eaque unum ex Synodalibus statutis executioni mandatum est, cessante nempe musica, sonituque orga-

Organi ab Offertorio usque ad Postcommunionem. Finitâ Missâ, in qua dictum non fuit: *Ite Missa est*, nec data benedictio, descendens e Cathedra Episcopus cum duobus Ministris in medium Altaris se contulit, ubi super faldistorium sedens inferius positam allocutionem ad Synodum habuit.

Hinc ad Cathedram rediit, et stante ipso una cum omnibus Patribus, a duobus Cantoribus in pulpito cantatae fuerunt sequentes acclamationes:

Cantores. *Dicamus omnes*:

Chorus. *Domine miserere*.

Cant. *Pro altissima pace et benigna constitutione deprecamur te*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro Papa nostro* PIO, *et omni Clero eius supplicamus te*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro Antistite nostro* SCIPIONE, *et omni grege sibi commisso postulamus te*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro huius sanctae Synodi Patribus, ut sit gratia sempiterna, et felix ad Ecclesias suas reditus, exoramus te*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro Serenissimo Magno Duce nostro* PETRO LEOPOLDO, *et* FAMILIA, *omnique populo eius, rogamus te*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro Civitate ista, et omnibus habitantibus in ea, ut salves nos*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro aëris temperie, et fructibus ac foecunditate terrae, largitor bone*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro his, qui infirmantur, et diversis languoribus detinentur, ut sanes eos*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Pro fidelibus defunctis, et omnibus qui in nostris coemeteriis requiescunt, ut quiescant in pace*. Chor. *Domine miserere*.

Cant. *Exaudi nos Deus in omni tribulatione nostra quia pius es*. Chor. *Domine miserere*.

Post haec Episcopus sequentes preces effudit.

OREMUS.

Protege, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli et Iacobi et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva.

Sanctus Zeno, et omnes Sancti tui, quaesumus, Domine, nos ubique adiuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: me famulum tuum, omnemque Clerum fac in tua dilectione ambulare, et Magnum Ducem nostrum cum omni eius Familia ab omnibus adversitatibus defende, iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Dominum etc.

His precibus recitatis Episcopus solemniter populo benedixit, et inde Diaconus de medio Altaris ad Patres conversus dixit: *Recedamus cum pace*; omnesque responderunt: *In nomine Christi, Amen*. Tunc vero Patres deposita stola ad Episcopum accesserunt ipsius manum osculaturi, et ab eodem apertissima sanctae unitatis, et paterni amoris testimonia receperunt. Ipsi vero Episcopi sui lacrymis, et amplexibus pacis medullitus commoti, praecedentibus Cerimoniario, et secundo Notario ad S. Leopoldi Ecclesiam reversi sunt; ibique singuli propriis resumptis vestibus ad suae residentiae locum redire coeperunt.

DECRETUM

DE CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS, ET EARUM AUCTORITATE.

§. I.

Desideratae tamdiu in Dioecesi nostra salubris reformationis hactenus dumtaxat fundamenta iecimus. Nimis enim multa et grandia sunt tam laudabilis renovationis capita, quam ut omnibus perfecte provisum esse credamus. Ceterùm id nobis persuasum est, Pastores, si indicata hactenus vestigia sequantur, satis instructos fore, ut ad animarum sanctificationem incumbant illa doctrinae, fidei morumque consensione et puritate, quae sacris ministerii sui muneribus obeundis profsus necessaria est. Definita interim in hac Sancta Synodo unanimi consensu dogmata veluti doctrinae Dioecesis compendium ab ipsis consideranda erunt. Ad haec frequenter animum suum convertant, et ad definiendas controversias, quae in ipsorum Paroeciis exoriri possunt, iisdem utantur.

II. Synodales Constitutiones susceptae quovis tempore fuerunt tanquam legislativum, ut dici solet, Dioecesis corpus, et plenis Ecclesiae universalis, aut saltem nationalium Conventuum definitionibus plerumque viam aperuerunt.

III. Ne tamen harum Constitutionum copia confusionem pariat, scientes alias huius Dioecesis Synodos adhuc vigere, declaramus, post huius promul-

mulgationem ceteras omnino abrogatas fore. Ad hanc necessariam abrogationem eo libentius ferimur, quod quaedam in ipsas intrusa fuisse observaverimus, quae temporum infelicitas fortasse minus conspicua fecit, cum tamen puris antiquitatis fontibus non omnino conformia, et sacris Magni Ducatus iuribus contraria a nobis agnoscenda sint.

IV. Post haec non aliud restat, nisi ut primo nos ad Deum erigamus supremum Patrem luminum, qui hanc adeo uniformem optimique exempli conspirationem in nobis facere dignatus est, qua in vero pacis et charitatis spiritu ad huius Sanctae Synodi conclusionem pervenimus; secundo ut ad nostrum amantissimum et sapientissimum Principem nos convertamus, ut ad veterum sanctissimorum Imperatorum exemplum pro accurata harum Constitutionum executione necessarium indulgeat patrocinium, et nomen Patris populorum suorum, et Ecclesiasticorum Canonum Protectoris sibi magis magisque confirmet. Nam et constantissime hoc eius studium experti sumus, piaculumque esset non habere eius tutelae spem maximam et firmissimam.

V. Ne vero in Synodalium decretorum executione ulla existat perturbatio, decernimus dumtaxat post mensem ab eorum promulgatione ab Episcopo facienda, distributo omnibus Plebanis ipsorum exemplari, vim obligandi consecutura.

CON-

CONCIO
HABITA AB EPISCOPO AD PATRES IN DIMITTENDA SYNODO.

Adest, Venerabiles in Sacerdotio, atque in Paſtorali officio Collegae, et Adiutores mei, laetiſſimorum iucundiſſimorumque mihi dierum exitus, quibus uno animo de huius Eccleſiae rebus deliberavimus. Pars illa gregis, quae veſtrae ſpeciatim fidei tradita eſt, ſpirituali indigens ope poſtulat, ut cum aliquamdiu abfueritis, eam reduces divini diſpenſatione Verbi, Sacramentorumque adminiſtratione reficiatis, atque ab adverſariorum inſidiis tueamini. Longior enim mora quoſdam mali ingenii homines ad perturbandum gregem excitare facile poſſet. Accedit etiam, quod montium praeſertim incolae in eo ſunt, ut ſuas relinquant domos, aliô ſuis negotiis vacandi cauſa profecturi; atque aequum non eſſe videtur, ut ipſi prius diſcedant, quam ſui iterum Paſtoris praeſentia conſpectuque fruantur, ſui accipiant benedictionem patris, tenellos eidem commendent liberos, et exiguae familiae, quam eius curae vigilantiaeque committunt, eum veluti cuſtodem, ac defenſorem conſtituant. Ad concreditum ergo vobis gregem, eodem illo, qui huc vos adduxit, quique noſtrorum conventuum lux, et concordia fuit, Divino Spiritu duce, revertamini; et quandoquidem populorum ſalus bonumque exigit, ut

ut ipsi non sine meo ingenti dolore seiungamus nos corpore, summopere studeamus, ut arctior inter nos animorum coniunctio maneat; ac licet absentes, omnibus precibus, optimisque consiliis ac monitis primi Pastoris infirmitatem confirmetis.

Cum D. Paulus, convocatis in urbe Mileto Ephesinis Sacerdotibus, et quae necessaria erant, edoctis, discedens praemonuit, illos faciem suam non amplius visuros, omnium animos ingens dolor pervasit. Quando autem me a vobis, atque ex hoc terrestri domicilio seiuncturus sit Deus O. M., nos latet omnino, Fratres. At quandocumque id eventurum sit mihi, ab iis commemorandis abstinere non possum, quae idem Apostolus Ephesios monuit, ut nempe vobis, et universo vestrae fidei tradito gregi sedulo attendatis. Maxime enim necessaria est haec circa vos ipsos attentio ac vigilantia, ut ministerium vestrum in fidelium cedat utilitatem. Frustra alios ad pie sancteque vivendum hortaremini, nisi vestra pietatis exempla praelucerent. Meminisse vos etiam oportet, Ecclesiam illam, cuius demandata vobis procuratio est, ipsam esse Dei Ecclesiam, Filii sui Sanguine redemptam pretiosissimo, ac regendam vobis divinitus datam. Harum rerum veritate permoti, quae pro ipsa aggredi, quot labores perferre, quae pro eius membris pericula adire non audebitis? Cavete autem, ne rapaces lupi vestra ovilia caedibus vastatum accedant. Praenunciavit enim Apostolus fore, ut vel ex carissimorum sibi Discipulorum coetu vani quidam doctores existerent, prava dogmata ad captandam populi existimationem et gratiam disseminantes. Inane quidem, atque ambitiosum discipulos sectatoresque sibi comparandi studium praecipua tot haeresum origo fuit. Animi pravitatem mentis per-

ver-

versitas plerumque consequitur; neque errorum magistri homines fiunt, nisi ante Daemonis fuerint per arrogantiam ac superbiam discipuli. Haec in sanctissimis etiam Ecclesiis lugenda mala saepissime fuerunt.

Animi igitur demissione, velut armis, instructi caveamus, Fratres, et charitatis vinculó copulati concordiam teneamus. Dei certe causâ alii ab aliis nunc discedimus; ut sui quisque repetat custodiam gregis; is tamen discessus noster erit, ut in Deo ipso firmius arctiusque haereamus. Ea enim in unam eamdemque doctrinam conspiratio atque consensio, cuius vos in sacris hisce conventibus rarissimum praeclarissimumque libere praebuistis exemplum, certissimo mihi illius coniunctionis ac societatis argumento est, quae inter nos nullo non tempore intercedet. Pretiosissimum illum sanctionum Ecclesiasticarum codicem, unanimi omnium nostrum consensu conditum, in huius Dioeceseos administratione tutissimum veluti ducem sequar.

Sed cum eo calamitatis communem ob noxam devenerimus, ut in eorum maxime, qui praesunt, an mos facillime incessat dominandi libido: ne igitur errem, cum vestro semper uti consilio, nec, quemadmodum primis Ecclesiae temporibus factum legimus, huius procurationem Dioecesis una vobiscum communicare ad veterem huiusmodi rationem semper liceat, quamproxime accedere saltem volui, Congregationem instituens, octo urbanis Parochis constantem, ad quam Foraneis etiam, quos nominant, Vicariis, tum praesertim, cum de sui Vicariatus rebus agitur, accedere licebit. Una cum his veluti ab ipsa Synodo delegatis mihi de gravissimis Dioeceseos negotiis agendi deliberandique facultas erit, donec perfecturi ea, quae inchoata modo ac proposita sunt, pravisque con-

su-

suetudinibus atque incommodis, quae rursus irrepere fortasse poterunt, remedium allaturi iterum conveniamus. Huiusmodi autem Congregatio, quoties opus fuerit, habebitur; sed certus statusque eius habendae dies, prima erit cuiuslibet mensis tertia feria, nisi aliqua solemnitate fuerit impedita; proximoque Decembri istarum Congregationum initium fieri poterit. Qui vero Parochus senior ordinatione fuerit, me absente, Congregationi praeerit; et cum summo Pastori, cuius nos vices gerimus, ad illud immortale praemium, quod mihi unice in votis est, quodque vehementer expecto, me advocare libuerit, idem hic Presbyterorum conventus mihi in hoc munus successori Antistitis consilium esse poterit, firmissimumque praesidium.

Placetne vobis, Venerabiles in Christo Fratres, meique in Sacerdotio Collegae, id etiam, quod pergratum mihi iucundumque sit, unanimi vestro suffragio confirmare?

Responderunt: *Placet*.

SEPTIMA, ET ULTIMA SESSIO EXPLICIT.

Idem ipse, qui inferius subscriptioni meum nomen appono, alter ex Synodalibus Scribis, et primus Episcopalis Curiae Cancellar. cum Synodi Decreta, et Constitutiones contulerim, omnia testor congruere cum exemplari, quod iam penes Actorum Synodalium Custodem est, et in Episcopali Tabulario depositum.

Ioannes Peraccini primus Curiae Episcop. Cancellar.

EPI-

EPISTOLA
FRANCISCI SERATTI
EQUITIS
AD PISTORIENSEM ET PRATENSEM
EPISCOPUM
MAGNI DUCIS IUSSU DATA

QUA DIOECESANAE SYNODI POSTULATIS REBUSQUE AB IPSA REGIAE CELSITUDINI DEMISSE PROPOSITIS RESCRIBITUR.

Cum Regia Celsitudo ad sex illa animum cogitationemque converterit, quae ipsius Dioecesanae Synodi nomine proposita eidem fuerunt;

Quod ad primum pertinet, aequum censet, nullam in foro per sponsalia actionem dari, qua promittentes adigi possint ad Matrimonium contrahendum, sed civilem tantum actionem, qua scilicet ad damna sumptusque sarciendos cogantur; de qua re, si opus fuerit, lex etiam feretur.

Quod vero pertinet ad publicae honestatis et spiritalis cognationis impedimenta, nec non ad circumscribendos minuendosque affinitatis et cognationis gradus, ut una eademque in universa Etruria servetur ratio, rem omnem cognoscendam decernendamque nationali Synodo Regia Celsitudo permittet, facta interim Episcopis, uti magis expedi-

re

re videbitur, quoties adsit necessitas, eidem consulendi potestate.

In eos etiam poenam constituet, qui raptim et occupato inopinate Parocho Matrimonium contrahunt; imperabitque, ne erronum matrimonia sine Praetoris facultate publicare liceat.

Id Regia Celsitudo habet penitus persuasum, quod Synodi Patres de iuramentis animadvertunt et secundo loco proponunt. Certum ipsi est universa illa abolere iuramenta, quae vel aliquod inituri munus vel Doctoris lauream accepturi aut alias facere consueverant. Quod vero ad iudicia tum civilia tum criminalia pertinet, aut penitus vel ferme omnino iurandi consuetudinem tollet, uti iam aliqua ex parte constitutum est, relicta Episcopis eamdem in rebus Ecclesiasticis abolendi facultate.

Ad ea quod pertinet, quae sunt tertio proposita, latam An. 1749. de festis diebus legem et si quid de eadem lege derogatum fortasse fuerit, Regia Celsitudo iterum iubebit expendi; nec dubitabit imperare, ut omnes sine ullo discrimine tabernae diebus festis integre vi praecepti servandis clausae maneant, rerum divinarum tempore ubique locorum constituendo. Alia omnia, die dominico excepto, Festa tollere, abrogare penitus legem, quae diebus festis iam reformatis Missae Sacrificio adesse iubet; esuriales ferias pridie Sanctorum Festa servari solitas ad aliud tempus transferre; haec omnia illa sunt, quae ut una eademque vigeat ubique in Etruria disciplinae ratio, in Nationali Concilio expendentur.

Quod vero de instituendo aptiori Paraeciarum ambitu quarto proponitur, id Regia Celsitudo maxime probat.

Poteris igitur, Illustrissime ac Reverendissime

Prae-

Praesul, obtinendae adprobationis causa ea Regiae potestati exhibere, quae tuae Dioecesi magis expedire intelliges.

Quod vero ad novum Regularium Monialiumque ordinem quinto propositum spectat, tibi REGIA CELSITUDO mandat, ut exponas, quae eiusdem Ordinis leges constitui, et quemadmodum periculi faciendi causa Prati Pistoriique Coenobium condi possit. Ex huius vero incepti exitu, nec non ex rerum et locorum statu REGIA CELSITUDO inibit huiusmodi Instituti ad alia loca atque adeo deinceps quocumque protendendi consilium.

Nationalis denique habendi Concilii necessitate atque utilitate plene cognita, ea omnino probat, et grata sibi fuisse REGIA CELSITUDO confirmat, quae de hac re Patres Synodi sexto proponunt; ipsique maxime curae erit, ut ad spirituale populorum bonum quamprimum habeatur.

Ea est Magni Ducis mens, quam tibi significare iubeor, dum observantiae erga te plenus tui me esse profiteor,

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

Florentiae pridie Non. Nov. 1786.

Ad Pistoriensem Episcopum.

Obsequentissimum addictissimumque Servum,
FRANCISCUS SERATTI.

Finis Partis primae.

VA1
1528424

Digitized by Google